Saal
Kasten
Fach
Nr.

DANIELIS NETTELBLADT

POTENT. BORVSS. REGI A CONSIL. AVL. ET PROFESS. IVR. ORDIN. IN REGIA FRIDERICIANA

SYSTEMA ELEMENTARE VNIVERSAE IVRISPRVDENTIAE NATVRALIS

PARS II.

IVRISPRVDENTIA NATVRALIS STRICTE SIC DICTA.

HALAE MAGDEBVRGICAE
IN OFFICINA LIBRARIA RENGERIANA.
MDCCLVIII.

PRAEFATIO.

Vt fidem datam liberem, ſecundam ſyſtematis elementaris vniuerſae iurisprudentiae naturalis partem, nunc publicae luci expono. Siſtit ea iurisprudentiam naturalem ſtricte ſic dictam, quae verſatur circa iura et obligationes naturales hominum extra rempublicam, ſeu ciuitatem, viuentium. Quum enim tam hominum extra rempublicam, quam in republica viuentium iura et obligationes in iurisprudentiae naturalis completo ſyſtemate ſint explicandae, introductione in iurisprudentiam naturalem in parte prima abſoluta, eam excipit in hac parte ſecunda hominum extra rem-

publicam viuentium iurium et obligationum, quae natura conſtituit, euolutio. His iuribus et obligationibus praemiſſis demum naturalia naturalesque obligationes, quae locum habent, ſi homines viuunt in republica, ſeu ciuitate, diſtincte tradi poſſunt. Nunc itaque inoffenſo pede progredi licet ad partem tertiam, quae huius generis iura et obligationes ſibi vindicat, in eaque ius publicum, priuatum et gentium vniuerſale tradendum. Faciam vt, quam primum fieri poteſt, et haec vltima pars huius ſyſtematis abſoluatur. Hanc, quam nunc exhibeo, partem ſecundam, ſpeciatim quod attinet, ex conſpectu, qui ſequitur, patebit, quas ſiſtat veritates iuridicas, et quo ordine ſint digeſtae. Licet vero non diffitear, me, quoad veritates ipſas tam, quam ordinem quo ſe inuicem excipiunt, veſtigia aliorum non legiſſe: non potui tamen non, quin via, quam elegi, incedam, quum alii in explicandis iuris naturalis praeceptis intendant finem a meo diuerſum. Sunt enim iurisprudentia naturalis et hiſtoria eae eruditionis partes, quae prae reliquis influunt in iurisprudentiam poſitiuam, vnde in tradendis veritatibus iuris naturalis id vnice intendo, vt omnem, quem poteſt, praeſtet vſum in iuris poſitiui ſtudio naturalis iurisprudentia. Hinc veritates iuris naturalis quae vulgo negligi ſolent, mihi enucleandas ſumſi: quae vero ab

ro ab aliis enucleari ſolent, vel plane neglexi, vel ſaltem obſeruaui illud: philoſophandum, ſed paucis. Ordinem porro, quantum fieri potuit, talem elegi, qui tum locum habere poteſt, ſi iuris poſitiui veritates in ſyſtema veri nominis ſunt redigendae. Dabam Halae d. XIX. April. MDCCLVIII.

* *

CONSPECTVS

IVRISPRVDENTIAE NATVRALIS STRICTE SIC DICTAE.

LIBER I.

Iurisprudentia naturalis ſtricte ſic dicta theoretica ſecularis allodialis.

SECTIO I.

De officiis hominum erga ſe ipſos et connexis cum iis iuribus, quoad

TIT. I. animam.
TIT. II. corpus.
TIT. III. ſtatum externum.

SECTIO II.

De officiis hominum erga alios et connexis cum iis iuribus.

MEMBRVM I.

De officiis erga alios abſolutis et cum iis connexis iuribus, quoad

TIT. I. animam.
TIT. II. corpus.
TIT. III. ſtatum externum.

MEMBRVM II.

De officiis erga alios hypotheticis et cum iis connexis iuribus.

CAPVT I.

De iure rerum.

(I)

De iure in re.

TIT. I. De dominio.
TIT. II. De iuribus in re aliena conſtitutis.
TIT. III. De iure occupandi.
TIT. IV. De iure haereditario.

(II)

De iure ad rem.

(1)

De iur. et oblig. perſonalibus immediatis.

(2)

De iur. et oblig. perſonalibus mediatis, ex

(A)

promiſſionibus.

(a)

Generalia de promiſſionibus et pactis principia.

TIT. I. De pactorum definitione et variis eorum diuiſionibus.

TIT. II. De ſubiecto et obiecto pactorum.

TIT. III. Communia pactorum.

(b)

De ipſis iuribus et obligationibus perſonalibus mediatis quae ex promiſſionibus oriuntur.

(𝔄)

De iur. et oblig. perſonalibus mediatis ex promiſſionibus mortis cauſa factis.

TIT. I. De pactis ſucceſſoriis.

TIT. II. De mortis cauſa donationibus.

(𝔅)

De iur. et oblig. perſonalibus mediatis ex promiſſionibus inter viuos factis.

(𝔞)

De pactis veris.

(α)

De pactis ſimplicibus.

(א)

De pactis ſimplicibus obligatoriis.

(I)

principalibus.

TIT. I. re initis.

TIT. II. ſine re initis.

(II)

minus principalibus

TIT. I. praeparatoriis.

TIT. II. adiectis.

(α)

De pactis ſimplicibus liberatoriis et mixtis.

(β)

De pactis compoſitis.

(b)

Quaſi pactis.

(c)

De acquiſitione, amiſſione, perſecutione et conſeruatione iur. et oblig. perſonalium mediatarum ex promiſſionibus.

TIT. I. De acquiſitione iur. et oblig. perſon. med. ex promiſſionibus.

TIT. II. De amiſſione iur. et oblig. perſon. med. ex promiſſionibus.

TIT. III. De perſecutione et conſeruatione iur. et obl. perſon. med. ex promiſſionibus.

(B)

laeſionibus.

(a)

Generalia de laeſionibus principia.

TIT. I. De laeſionibus et variis earum diuiſionibus.

TIT. II. De ſubiecto et obiecto laeſionum.

TIT. III. Communia laeſionum.

(b)

(b)

De ipſis iur. et oblig. perſon. mediatis quae ex laeſionibus oriuntur.

(𝔄)

De laeſionibus veris.

(a)

De laeſionibus veris generalibus.

TIT. I. De vi.
TIT. II. De falſo.

(b)

De laeſionibus veris ſpecialibus

(α)

officiis erga alios abſolutis contrariis, ratione
TIT. I. animae.
TIT. II. corporis.
TIT. III. ſtatus externi.

(β)

officiis erga alios hypotheticis contrariis, quoad
TIT. I. ius in re.
TIT. II. ius ad rem.

(𝔅)

De quaſi laeſionibus.

(c)

De acquiſitione, amiſſione, perſecutione et conſeruatione iur. et oblig. ex laeſionibus.

CAPVT II.

De iure perſonarum.

(I)

De ſingulis ſtatibus et iuribus atque obligationibus ab iis dependentibus.

(1)

De ſtatibus non ſocialibus.

TIT. I. naturalibus.

TIT. II. ciuilibus.

(2)

De ſtatibus ſocialibus.

(A)

De ſtatibus ſocialibus ſeu ſocietate in genere.

TIT. I. De conſtitutiuis ſocietatum.

TIT. II. De variis ſocietatum ſpeciebus.

TIT. III. De ſuperiore, directore et officialibus ſocietatum.

TIT. IV. De conuentibus et concluſis ſocietatum.

TIT. V. De bonis, promiſſionibus et laeſionibus ſocietatum.

TIT. VI. De modis quibus membra ſocietatis talia fiunt et eſſe deſinunt.

(B)

De ſingulis ſtatibus ſocialibus ſeu ſocietatibus in ſpecie.

(a)

De ſocietatibus ſimplicibus.

(𝔄)

De ſocietatibus ſimplicibus duorum membrorum.

TIT.

TIT. I. De ſocietate paterna.
TIT. I. De ſocietate coniugali.
TIT. III. De ſocietate herili.

(B)

De collegiis.

(b)

De ſocietatibus compoſitis

(A)

minoribus.

TIT. I. De domo.
TIT. II. De corporibus.

(B)

maioribus.

II)

De acquiſitione, conſeruatione, perſecutione et amiſſione iurium atque obligationum quae a ſtatibus dependent.

LIBER II.

Iurisprudentia naturalis ſtricte ſic dicta theoretica ſecularis feudalis.

SECTIO I.

Generalia de feudis principia.

SECTIO II.

De feudi conſtitutione.

TIT.

TIT. I. De modis quibus infeudatio fit.

TIT. II. De rebus quae poſſunt inſeudari.

TIT. III. De perſonis quae feudum conſtituere et accipere poſſunt.

SECTIO III.
De feudo conſtituto.

CAPVT I.
De perſonis feudalibus.

TIT. I. De domino feudi directo.

TIT. II. De vaſallo poſſeſſore.

TIT. III. De ſucceſſoribus feudalibus vi inueſtiturae primi acquirentis.

TIT. IV. De ſimultanee inueſtitis.

TIT. V. De exſpectatiuariis feudalibus.

TIT. VI. De ſucceſſoribus feudalibus vi diſpoſitionis vaſalli talibus.

CAPVT II.
De iuribus et obligationibus feudalibus.

(I)

De iuribus et obligationibus feudalibus ipſis, quoad

(1)

feuda propria, quae verſantur circa

TIT. I. perſonam domini et vaſalli.

TIT. II. feudi dominium directum et vtile.

TIT. III. ipſam rem feudalem.

(2)

feuda impropria.

(II)

De acquiſitione, amiſſione, conſeruatione et perſecutione iur. et oblig. feudalium.

TIT. I. De acquiſitione iur. et oblig. feudalium.

TIT. II. De amiſſione iur. et oblig. feudalium.

TIT. III. De conſeruatione et perſecutione iur. et oblig. feudalium.

LIBER III.

Iurisprudentia naturalis ſtricte ſic dicta theoretica eccleſiaſtica.

SECTIO. I.

Generalia de religione principia.

SECTIO II.

De iuribus et obligationibus hominum extra eccleſiam viuentium quoad religionem.

TIT. I. De officiis erga Deum.

TIT. II. De officiis erga alios homines quoad religionem.

SECTIO I.

De iur. et oblig. hominum in eccleſia viuentium quoad religionem.

TIT. I. De conſtitutiuis eccleſiae.
TIT. II. De variis eccleſiarum ſpeciebus.
TIT. III. De ſuperiore, directore et officialibus eccleſiae.
TIT. IV. De conuentibus et concluſis eccleſiae.
TIT. V. De bonis, promiſſionibus et laeſionibus eccleſiae.
TIT. VI. De modis quibus membra eccleſiae talia fiunt et eſſe deſinunt.

LIBER IV.

Iurisprudentia naturalis ſtricte ſic dicta practica.

(I)

Iurisprudentia practica non litigioſa.

SECTIO I.

De expeditione negotiorum non litigioſorum in genere.

TIT. I. De perſonis per quas negotiorum non litigioſorum expeditio fit.
TIT. II. De modo proponendi in negotiis non litigioſis.
TIT. III. De forma externa negotiorum non litigioſorum.

TIT.

TIT. IV. De congregationibus negotia iuridica non litigioſa expediendi cauſa.

SECTIO II.

De ipſis negotiis iuridicis non litigioſis.

MEMBRVM I.

De negotiis iuridicis non litigioſis generalibus.

TIT. I. De negotiis acquiſitionem iur. et oblig. in genere concernentibus.

TIT. II. De negotiis amiſſionem iur. et oblig. in genere concernentibus.

TIT. III. De negotiis probationem iur. et oblig. in genere concernentibus.

TIT. IV. De negotiis conſeruationem iur. et oblig. in genere concernentibus.

MEMBRVM II.

De negotiis iuridicis non litigioſis ſpecialibus.

TIT. I. De negotiis ſecularibus allodialibus.

TIT. II. De negotiis ſecularibus feudalibus.

TIT. III. De negotiis eccleſiaſticis.

(II)

Iurisprudentia practica litigioſa.

SECTIO I.

De belligeratione.

TIT. I. De perſonis belligerantibus.

TIT. II. De ſingulis actibus in belligeratione obuenientibus.

TIT. III. De belligeratione.

SECTIO II.

De amicabili compoſitione.

TIT. I. De pactione pacis.

TIT. II. De amicabili compoſitione in ſpecie ſic dicta.

IVRISPRVDENTIA
NATVRALIS
STRICTE SIC DICTA.

IVRISPRVDENTIA NATVRALIS STRICTE SIC DICTA.

§. I.

Abſoluta introductione in iurisprudentiam naturalem, ſequitur ipſarum partium eius tractatio. Quum vero partes eius ſint iurisprudentia naturalis ſtricte ſic dicta, et iurisprudentia naturalis ciuilis (§. 11. *Introd.*), nunc iurisprudentia naturalis ſtricte ſic dicta explicanda. Haec quum abeat in theoreticam et practicam partem (§. 12. *Introd.*), pars theoretica praemittenda, et quidem ex partibus eius, quae ſunt ſecularis et eccleſiaſtica iurisprudentia (§. 13. *Introd.*), primo ſecularis, et ex huius duabus partibus, allodiali et feudali (*l. c.*), prior, allodialis ſcilicet, praemittenda. Quae quum ita ſint, vniuerſa iurisprudentia naturalis ſtricte ſic dicta in quatuor libris tradenda, quorum *primus* iurisprudentiam naturalem ſtricte ſic dictam theoreticam ſecularem allodia-

 lem,

ſem, *ſecundus* feudalem, *tertius* eccleſiaſticam, *quartus* vero practicam partem ſiſtet.

LIBER I.

IVRISPRVDENTIA NATVRALIS STRICTE SIC DICTA THEORETICA SECVLARIS ALLODIALIS.

§. 2.

Hominum extra respublicas viuentium iura et obligationes naturales quae in hoc libro euoluuntur, partim officia hominum erga ſe ipſos, partim officia eorum erga alios concernunt (§. 134. *Introd.*). Abit inde in duas ſectiones, quarum prima officia hominum *erga ſe ipſos*, ſecunda officia eorum *erga alios* ſiſtit.

SECTIO I.

DE OFFICIIS HOMINVM ERGA SE IPSOS ET CONNEXIS CVM IIS IVRIBVS.

§. 3.

Summa officiorum hominum erga ſe ipſos eſt, quod ad bona animi quae animam, *corporis* quae corpus, *et fortunae* quae ſtatum externum perficiunt, *quatenus in poteſtate eorum ſunt, conſequenda ſint obligati; id quod de malis contrario ſenſu valet* (§. 162. et §. 117. *Introd.*).

§. 4.

Si ergo *dantur ad perfectionem hominis promouendum neceſſaria, quae non in omnium poteſtate ſunt,*

ſunt, ad ea conſequenda non obligantur, niſi ii quorum in poteſtate iſta ſunt. Hincque *dantur officia erga nos quae omnibus hominibus communia, et talia quae non omnibus hominibus communia, ſed huic vel illi homini propria ſunt.*

§. 5.

Homo noſcere debet 1) *perfectiones et imperfectiones;* 2) *vſum facultatum humanarum ad perfectionem conſequendum et imperfectionem arcendum, vt et* 3) *ſe ipſum.* Niſi enim harum rerum cognitione inſtructus, officiis erga ſe ipſum ſatisfacere nequit (§. 3).

§ 6.

Summum bonum hominis ſeu *beatitudo philoſophica* eſt non impeditus progreſſus ad maiores continuo perfectiones, *ad quod obtinendum quilibet homo obligatus eſt.* Per definitionem et §. 3.

§. 7.

His de officiis erga nos in genere praemiſſis, ſpecialioria quoad officia haec ratione 1) *animae;* 2) *corporis;* 3) *ſtatus externi* addenda ſunt.

TIT. I.
DE OFFICIIS HOMINVM ERGA SE IPSOS QVOAD ANIMAM.

§. 8.

Homo 1) *conſeruare debet quaslibet animae facultates quibus a natura inſtructa eſt, quales ſunt*

facultas cognoſcitiua et appetitiua; 2) *eas augere acquirendo nouas animae perfectiones.* (§. 3.)

§. 9.

Quaelibet acquiſita animae perfectio dicitur *virtus*, hincque 1) *virtus vel intellectualis, vel moralis eſt*, prout vel ad facultatem cognoſcitiuam, vel ad facultatem appetitiuam pertinet; 2) *ad omnem virtutem moralem conſtans et perpetua voluntas requiritur;* 3) *homo debet omnem dare operam vt fiat virtuoſus.*

Dicatur de ſingulis virtutum ſpeciebus, huiusque doctrinae ſede.

§. 10.

Homo obligatus eſt ad ita vtendum facultatibus animae ſuae, vt vſus reſpondeat fini propter quem anima ſua a natura facultatibus iſtis inſtructa eſt. (§. 3. et §. 66. Introd.).

§. 11.

Hinc fluit 1) *omnem dolum omnemque culpam officiis erga nos repugnare;* 2) *dominium ſui ipſius in ſenſu morali* quod habet is, qui ſenſibus, imaginationi atque adfectibus reſiſtere valet, ne praeualeant aduerſus rationem, eorumque vſum rationi conuenienter determinat, *officia erga ſe ipſum a quolibet homine exigere.*

§. 12.

Ad officia hominum erga ſe ipſos quoad ani-

animam, referri etiam poſſunt officia ratione ſermonis et aliorum modorum animi noſtri ſenſa aliis communicandi, de quibus in genere notandum, *quod cuilibet liceat ſaluis officiis erga ſe ipſum loqui vel tacere, niſi hoc vel illud ad perfectionem obtinendum aut imperfectionem arcendum requiratur* (§. 3.).

TIT. II.

DE OFFICIIS HOMINVM ERGA SE IPSOS QVOAD CORPVS.

§. 13.

Homo 1) *conſeruare debet facultates quaslibet corporis quibus a natura corpus inſtructum eſt, quales ſunt, facultas vitalis, ſenſitiua et locomotiua;* 2) *eas augere acquirendo nouas corporis perfectiones.* (§. 3.).

§. 14.

Quaelibet acquiſita corporis perfectio dicitur *habilitas corporis*, hincque *homo operam dare debet vt omnem corporis habilitatem, quatenus in ſua poteſtate eſt, acquirat.*

§. 15.

Homo obligatus eſt ad ita vtendum facultatibus corporis ſui, vt vſus reſpondeat fini propter quem corpus ſuum a natura facultatibus illis inſtructum eſt. (§. 3. et §. 66. Introd.).

§. 16.

Hinc fluit 1) *tam autochiriam* quae eſt fa-

ctum quodcunque quo quis ſibi ipſi vitam adimit, *quam membri cuiusdam corporis corruptionem iure naturali eſt probibitam, nec fingi poſſe caſum quo ob colliſionem officiorum autochiria foret licita* (§. 255. *Introd.*); 2) *omnem actum libidinoſum*, qui eſt vſus partium corporis genitalium, ſolius voluptatis ſenſualis excitandae gratia, ſiue coitus ſit, ſiue non, *officiis erga nos repugnare.*

TIT. III.

DE OFFICIIS HOMINVM ERGA SE IPSOS QVOAD STATVM EXTERNVM.

§. 17.

Ad ſtatum hominis externum, qui determinatur per mutabilia quae extrinſecus ad eum referuntur, pertinent 1) *eius exiſtimatio;* 2) *ea quae vſui ſuo inſeruiunt;* 3) *amici et inimici.* Vnde de his tribus hic agendum.

§. 18.

Exiſtimatio eſt aliorum de moralitate actionum noſtrarum iudicium, et vel *bona*, vel *mala* eſt, prout iudicium hoc vel favorabile eſt, vel non. Exiſtimatio bona verbis declarata *laus*; aliis actibus externis vero ſignificata *honor* dicitur. Aſt *fama* eſt communis hominum ſermo de moralitate actionum alterius, eſtque, vt exiſtimatio, vel *bona*, vel *mala*.

§. 19.

§. 19.

Homo operam dare debet vt exiſtimatione bona, honore, laude dignus ſit, atque fama ſua ſit bona, non vero ad conſequendum haec omnia eſt obligatus. Quoniam prius perficit, et in poteſtate ſua eſt, poſterius vero in poteſtate ſua non eſt. (§. 3.).

§. 20.

Ad ea quae vſui hominis inſeruiunt, pertinent 1) *res neceſſariae, vtiles et voluptuariae*; 2) *actiones aliorum in noſtram vtilitatem tendentes.*

§. 21.

Homo operam dare debet vt inſtructus ſit iis quae vſui ſuo inſeruiunt, ſicque vt 1) ſibi adquirat patrimonium et acquiſitum conſeruet; 2) efficiat alios adeſſe quorum opera, ſi opus eſt, vti poſſit. (§. 3.).

§. 22.

Amici dicuntur qui ex perfectione noſtra voluptatem percipiunt: *inimici* e contra, qui ex imperfectione noſtra voluptatem percipiunt.

§. 23.

Homo operam dare debet vt aliorum amicitia ſe dignum reddat, ad conſequendum vero eam non eſt obligatus. Quoniam prius perficit et in poteſtate ſua eſt, poſterius vero in poteſtate ſua non eſt (§. 3.).

SECTIO II.

DE OFFICIIS HOMINVM ERGA ALIOS ET CVM IIS CONNEXIS IVRIBVS.

§. 24.

Abſolutis officiis hominum erga ſe ipſos, ſequuntur officia eorum erga alios (§. 2.), quae duplicem admittunt diuiſionem, ſcilicet in abſoluta et hypothetica (§. 125. *Introd.*), vt et in perfecta et imperfecta (§. 133. *Introd.*) officia. Licet vero tam ſecundum priorem, quam poſteriorem diuiſionem ipſa haec officia a ſe inuicem ſeparari et diſtincte tractari poſſint, ex variis rationibus tamen ſecundum diuiſionem priorem illa hic tradenda ſunt. Vnde ſigillatim de officiis erga alios 1) *abſolutis;* 2) *hypotheticis* agendum, praemiſſis iis, quae de his officiis in genere notari merentur

§. 25.

Officia erga alios nonſolum quoad homines nobiscum viuentes locum habent, ſed et dantur officia erga mortuos et poſteros, immo nec deſinunt deberi licet alter deſit a ſua parte officiis quae nobis debet. Nulla enim adeſt ratio cum ad viuentes reſtringantur, et obligatio naturalis eſt immutabilis (§. 126. *Introd.*)

§. 26.

Summa officiorum erga alios eſt, quod quemcunque alium hominem, quatenus ipſe non poteſt, nouis

uis perfectionibus inſtruere debeamus, *et perfectionibus quibus inſtructus eſt neminem priuare liceat*, *quatenus officia erga nos permittunt.* Per §. 168. et 169, Introd. Hinc fluit: *vnumquemque hominem alteri debere quod ſibi, quatenus alter id non habet in poteſtate ſua, ipſe autem ſaluis officiis erga ſe ipſum hoc alteri praeſtare poteſt, et officia erga nos eſſe, vt aiunt, menſuram officiorum erga alios.* Per §. 3.).

§. 27.

Ex officiorum erga alios obſeruantia oritur *iuſtitia*, quae eſt conſtans et perpetua voluntas, ſeu virtus, ius ſuum cuique tribuendi, eamque GROTIVS diuidit in *expletricem*, qua ius perfectum, et *attributricem*, qua ius imperfectum, alteri tribuitur: ARISTOTELES vero in *vniuerſalem*, quae exercetur per actiones eum, cui ius ſuum per eas tribuitur, proprie non reſpicientes, et *particularem* quae exercetur per actiones eum, cui per eas ius ſuum tribuitur, proprie reſpicientes, quam ſubdiuidit in *diſtributiuam*, quae exercetur in *diſtributione*, quae eſt actus quo communia diuiduntur, et *commutatiuam*, quae exercetur in *commutatione*, quae eſt actus quo id quod nobis proprium erat fit alterius.

MEM-

MEMBRVM I.
DE OFFICIIS ERGA ALIOS ABSOLVTIS ET CVM IIS CONNEXIS IVRIBVS.

§. 28.

Quum officia erga nos ſint menſura officiorum erga alios (§. 26.), facile patet et officia erga alios abſoluta, vel *animam*, vel *corpus*, vel *ſtatum externum* alterius concernere.

TIT. I.
DE OFFICIIS ERGA ALIOS ABSOLVTIS QVOAD ANIMAM.

§. 29.

Officia hominum erga ſe ipſos quoad animam, ſunt etiam officia hominum erga alios quoad animam. Per §. 26.

§. 30.

Hinc fluit *officia noſtra erga alios quoad animam aliorum a nobis exigere vt facultates animae eorum conſeruemus et augeamus*, per conſequens *alios exemplo noſtro omnes virtutes docere*, *et ad earum ſtudium incitare debeamus*, *omnemque ſeductionem*, quae eſt perſuaſio alterius ad agendum contra leges, *legi naturali eſſe contrariam.*

§. 31.

Ad *officia erga alios abſoluta* quoad animam, referri etiam poteſt obligatio abſoluta alteri animi noſtri ſenſa ſignificandi, ſicque officia circa ſermonem aliaque ſigna per quae aliis ani-

animi noſtri ſenſa ſignificare poſſumus, quae *a nobis exigunt vt toties animi noſtri ſenſa alteri ſignificemus, ſicque declaremus voluntatem noſtram, quid nobis videatur dicamus, quae nobis cognita ſunt reuelemus, quoties intereſt alterius hoc fieri vel ad perfectionis ſuae conſeruationem, vel ad nouae perfectionis acquiſitionem. Quoties vero alterius non intereſt nos animi noſtri ſenſa ei ſignificare, nec perfecta nec imperfecta obligatio adeſt ad hoc faciendum.* Vi principii generalis quod ſummam officiorum erga alios continet (§. 26.).

§. 32.

Si quis loquitur in caſu quo ad loquendum eſt obligatus, ſermoni ineſſe debet 1) *veritas logica et* 2) *euitanda ambiguitas, ſiue oriatur ex reſeruationibus mentalibus, ſiue ex neglecto ſignificatu verborum qui vſui loquendi conuenit, ſiue alio modo. Quodſi vero quis loquitur, dum ad loquendum non eſt obligatus, ſicque ſilere poſſet, haec non requiruntur.* Niſi enim, quae dicta ſunt, obſeruantur animi ſenſa non ſignificantur. Hinc in priori caſu adeſſe debent, non in poſteriori, per hypotheſin vtriusque partis propoſitionis.

VITI BENED. HEVBERI *Diſſ. de eo quod circa ſermonem iuſtum eſt.* Ien. 1693.

GOTTL. GER. TITII *Diſſ. de officio ſermocinantium.* Lipſ. 1695.

TIT. II.
DE OFFICIIS HOMINVM ERGA ALIOS ABSOLVTIS QVOAD CORPVS.

§. 33.

Officia hominum erga ſe ipſos quoad corpus, ſunt etiam officia eorum erga alios abſoluta quoad corpus. Per §. 26.

§. 34.

Hinc fluit: *officia noſtra erga alios abſoluta quoad corpus a nobis exigere vt facultates corporis eorum conſeruemus, et curemus vt corporis habilitatem acquirant*, per conſequens *alterum nec vita priuare, nec per vulnera, rupturas, fracturas et luxationes damnum corpori eius inferre liceat* (§. 13.).

§. 35.

Licet is cuius corpori nocetur vitam adimendo aut alio modo damnum corpori inferendo conſentiret, nihilominus haec actio illicita foret, ſicque nec volentem occidere licet. Per §. 16.

§. 36.

Officiis erga alios abſolutis quoad corpus repugnat omnis actus quo alter ad aliquid agendum ſeu patiendum ratione corporis ſui vi metuue adigitur. Hoc enim contrarium eſt obligationi qua alios perficere tenemur (§. 26.).

TIT. III.

DE OFFICIIS HOMINVM ERGA ALIOS ABSOLVTIS QVOAD STATVM EXTERNVM.

§. 37.

Officia hominum erga ſe ipſos quoad ſtatum externum, ſunt etiam officia erga alios abſoluta quoad ſtatum externum (§. 26.).

§. 38.

Hinc ratione I) *exiſtimationis operam dare debemus vt alii fama bona fruantur, iisque honorem meritum exhibere, meritamque laudem tribuere debemus* (§. 19.); II) *eorum quae vſui aliorum inſeruiunt, curare vt alii iis inſtructi fiant et ea conſeruent* (§. 21.), licet enim officia erga alios abſoluta nec dominium nec imperium praeſupponant, concipi tamen poſſunt officia abſoluta erga alios ratione rerum et actionum humanarum. III) *amicorum et inimicorum, omnibus amici, nemini inimici eſſe debemus, et operam dare vt inimicos reconciliemus* (§. 23.).

MEMBRVM II.

DE OFFICIIS ERGA ALIOS HYPOTHETICIS ET CVM IIS CONNEXIS IVRIBVS.

§. 39.

Explicatis, quantum pro inſtituti ratione ſufficit (§. 8. *Introd.*), officiis erga alios abſolutis,

tis, ſequuntur hypothetica officia (§. 24.). Quae vero ad hanc claſſem pertinent veritates iuris naturalis aeque, vt veritates iuris poſitiui, reduci poſſunt ad duas claſſes, prout vel certum hominum ſtatum (§. 91. *Introd.*) praeſupponunt, vel non. Poſterioris generis officia et cum iis connexa iura ſub *iuris rerum*, prioris, ſub *iuris perſonarum*, nomine comprehendi poſſunt.

CAPVT I.
DE IVRE RERVM.

§. 40.

Ius rerum abit in *ius in re* et *ius ad rem*, ſumtis his terminis pro complexu veritatum certi generis. Prius conſtituit eam iuris rerum partem in qua iura obiectiue realia, poſterius eam, in qua iura obiectiue perſonalia, cum obligationibus his iuribus reſpondentibus, explicantur. Quodſi vero ius in re ſumitur pro certa iurium ſpecie, idem eſt ac ius obiectiue reale (§. 135. *Introd.*), et ſi ius ad rem ſumitur pro certe iurium ſpecie, idem eſt ac ius obiectiue perſonale. *l. c.*

(I)
DE IVRE IN RE.

§. 41.

Iura obiectiue realia ſunt quidem ſemper in dominio eius cui competunt, aſt non ſemper

per ipſum dominium ſunt. Dantur vero variae eius ſpecies, ſeu potius ſumma eorum genera, quae ſunt 1) *Dominium;* 2) *Iura in re aliena conſtituta;* 3) *Ius occupandi ſtricte ſic dictum* 4) *Ius haereditarium*, de quibus et iis reſpondentibus obligationibus nunc agendum.

TIT. I.
DE DOMINIO.

§. 42.

Quae in genere de natura et indole dominii ſupra (§. 198. *ſeqq. Intr.*) dicta ſunt, locum habent quoad dominium hominum extra rempublicam viuentium, vnde hoc loco tantum, quae ibi dicta ſunt, ad nonnullas ſpecies rerum quae in dominio talium hominum eſſe poſſunt applicanda ſunt, ita, vt ſemper ſupponatur alteri non competere ius in re domini conſtitutum.

§. 43.

Sunt vero res quae praeprimis merentur de earum dominio ſpeciatim agi I) *ſolum* (*Grund vnd Boden*) in ſe conſideratum, quod eſt res immobilis ad homines et res ſuſtinendum apta.

§. 44.

Quoad ſolum in ſe conſideratum a ſe inuicem diſtingui debent 1) *materia ſoli*, quae varia

eſſe poteſt; 2) *ſuperficies ſoli*, quicquid nimirum ſuper ſolum eminet eidemque cohaeret; 3) *ſpatium atmoſphaericum*, quod eſt ſpatium iſtud intra atmoſphaeram, quod perpendiculariter ſolo cuidam imminet; 4) *ſubterranea*, quo nomine veniunt res a ſoli materia diuerſae, quae intra ſolum ſunt.

§. 45.

Dominus ſoli eſt dominus materiae ſoli et ſpatii atmoſphaerici, non vero dominium ſoli ſub ſe comprehendit dominium ſuperficierum, ſubterraneorum, corporum quae in ſpatio atmoſphaerico noſtro generantur, rerum mobilium quae in ſolo inueniuntur, et ſe mouentium quae in eo ſubſiſtunt. Cum dominio ſoli materiae et ſpatii atmoſphaerici dominium ſimul acquiri, inde patet, quoniam ſolum habemus propter materiam et ſuperficiem, ſicque ſine hoc dominio ſoli dominium nullam praeſtaret vtilitatem. Aſt de reliquis rebus hic recenſitis illud non valet, ergo nec earum dominium inuoluit dominium ſoli.

§. 46.

Ergo *dominus ſoli vti poteſt materia ſoli ad vſum quemcunque, ſuperficiem cuiuscunque generis ſolo imponere, modo ſupra ſolum alienum proiecta aut maeniana non ponat, nec immittat ei aliquid, aut talem ſuperficiem, vel ita eam imponat, vt inde damnum immineat vicino.* (§. 211. Introd.).

§. 47.

Licet dominus, ſi ſolo ſuo imponit ſuperficiem, vicino intercipiat liberiorem aërem, liberiorem proſpectum, radiorum ſolarium vſum, vicino tamen non competit ius probibendi, niſi domino ſuperficies nullam praeſtet vtilitatem, vicino vero noceat, hoc eſt, *ad aemulationem fiat ſuperficiem imponi.* Dum enim ſuperficiem imponit dominus ſolo ſuo vtitur iure ſuo, indeque, ſi aliquod ſentit damnum vicinus, eſt damnum iure datum, quod dare licet (§. 185. *Introd.*). Quoad exceptionem vid. §. 26.

§. 48.

Rerum de quarum dominio hic ſpeciatim agendum ſpecies ſunt II) *aedificia (die Gebäude)* quae ſunt res ex pluribus rebus opera humana iunctis in ſolo exſtructae, *conſtant* itaque *aedificia ex duabus rebus, ſolo et ſuperficie.*

§. 49.

Dominus ſoli pro lubitu aedificare poteſt in ſuo, aedes, muros, caſtra, fortalitia etc. exſtruendo in infinitum ad coelum vsque, poteſtque quaquauerſus in ſuo pariete feneſtras tam luciferas, quam proſpectiuas aperire. Per §. 211. *Introd.* et §. 45.

§. 50.

Dominus aedificii poteſt illud reficere, vel non, niſi vicino ex ruinoſo aedificio damnum immineat, ſi

 pla-

placet deſtruere illud, aut ei aliquid detrahere, nec non cuicunque vſui quem praeſtat deſtinare poteſt. Quodſi itaque aedificia ſunt aedes, inde oritur ius habitationis, *quod, quatenus domino vi dominii competit,* cauſale, *dici poteſt.* Vi iurium in dominio contentorum (§. 211. *Introd.*).

§. 51.

Domino licet aedificii ſui formam mutare, manetque, ſi aedificium collapſum, vel combuſtum, vel disiectum, dominus areae: prout etiam ab eius arbitrio dependet an nouum aedificium exſtruere velit, vel non. Itidem vi iurium in dominio contentorum (§. 211. *Introd.*).

§. 52.

Progredior III) ad dominium *animalium* de quo notandum 1) *domino licere in ſuo alere animalia cuiuscunque generis, modo non ſint noxia animalia.* (§. 188. Introd.); 2) *ipſum animalium dominium ſub ſe continere ius ſtercorandi, foetum lucrandi, ſi etiam animal alterius impraegnauerit illud, omnesque alias res quae ex animalibus veniunt, mactandi animal et ſi mortuum deglubendi, ſiue eſui hominum inſeruiat, ſiue non.* Vi iurium in dominio contentorum.

§. 53.

Huc IV) referri debent *agri, prata, vineae et horti* de quarum rerum dominio hic non niſi hoc notandum 1) *quod liceat domino harum rerum formam mutare, agrum in hortum etc. commutando;* 2) *do-*

2) *domino agrorum licere agros ſuos colere ſemper et quocunque modo velit; 3) pratorum et agrorum dominium ſub ſe continere ius paſcendi*, quod dici poteſt *cauſale*, eſtque vel *ius paſcendi ſolitarium*, vel *ius compeſcendi* prout vel ex dominio ſolitario, vel ex condominio oritur. Vi eorum quae de iuribus in dominio contentis ſupra §. 211. *Introd.* dicta ſunt.

§. 54.

Progredior V) ad *ſyluas*, de quibus notandum *earum partes eſſe ſolum et arbores, non vero animalia fera in iis obuia.*

§. 55.

Dominus ſyluae nonſolum ipſam ſyluam in agrum commutare et de arboribus, tanquam de re ſua, pro lubitu diſponere poteſt, ſed et eius ſunt omnia emolumenta ſylueſtria, hincque *ei competit ius glandes legendi, ius lignandi, ius paſcendi in ſylua ſua.* Per §. praec. et ea quae de iuribus in dominio contentis ſupra dicta ſunt.

§. 56.

Et hic VI) *bonorum hereditariorum* mentio eſt facienda, ſub quo nomine veniunt bona a maioribus per ſucceſſionem hereditariam acquiſita, et opponuntur bonis acquiſitis.

§. 57.

Licet bona haereditaria in genere ratione dominii non habeant peculiarem naturam, tamen, ſi ſunt ta-

lia bona hereditaria quae per ſucceſſionem ex pacto et prouidentia maiorum acquiſita, ex ipſa eorum natura dominium eſt dominium vſufructuarium. Per §. 374. et 213. Introd.

§. 58.

Res hactenus recenſitas excipiunt VII) *flumina* quorum partes ſunt *alueus* et *aqua*, non vero piſces in flumine. Quoad aquam fluminis vero notandum quod vel vt *aqua ſimplex*, vel vt *aqua fluminis* conſiderari poſſit, prout nimirum, vel quoad eum vſum conſideratur quem praeſtat aqua omnis, vel quoad eum, quem non niſi aqua fluminis praeſtat.

§. 59.

Dominus ſoli per quod flumen fluit ideo, quod ſoli ab vtraque fluminis parte dominus ſit, fluminis dominus non eſt. Eſt enim flumen res a ſolo diuerſa.

§. 60.

Qui dominus fluminis eſt eius quidem eſt alueus, et aqua qua aqua fluminis conſiderata, non vero aqua qua aqua ſimplex conſiderata. Quod eius ſit alueus inde eſt, quoniam eſt fluminis pars. Licet vero et aqua ſit fluminis pars, eſt tamen aqua qua ſimplex aqua conſiderata res vſus inexhauſti. Ergo non admittit dominium (§. 207. *Introd.*).

§. 61.

Quoad VIII) *rerum vniuerſitatis* quae ſunt res

in

in dominio perſonae moralis (§. 93. *Intr.*) exiſtentes *dominium notandum illud non eſſe condominium, ſed dominium ſolitarium, nec ex harum rerum natura ſequi vſufructum harum rerum ſingulis, qui moralem perſonam conſtituunt, competere.* Per §. *cit.* et 220. Introd.

§. 62.

Tandem IX) et hic de *rerum quarum dominium in directum et vtile* diuiſum dominio agendum. Variae quidem res huius generis concipi poſſunt in ſtatu naturali, cum conditio, ſub qua diuiſio fieri poteſt, multiplex ſit, praeprimis vero hic de emphyteuſi agendum, cum altera praecipua harum rerum ſpecies, feudum ſcilicet, infra in iurisprudentia feudali ex inſtituto explicanda.

§. 63.

Emphyteuſis eſt res cuius dominium in utile et directum diuiſum ſub conditione annui canonis praeſtandi. Dicitur vero *canon* ſymbolum recognitionis dominii directi. Is cui competit emphyteuſeos dominium directum dicitur *dominus emphyteuſeos*, cum *emphyteuta* dicatur qui habet eius dominium vtile.

§. 64.

Eſt itaque *dominium emphyteuſeos per ſe et ſua natura nunquam plenum, et quae ſint iura domino emphyteuſeos et emphyteutae quoad ipſam emphyteu-*

ſin competentia ex dominii directi et vtilis natura et indole ſupra §. 213. ſeqq. Introd. *expoſita per ſe fluit, cum domino emphyteuſeos iura in dominio directo, emphyteutae iura in dominio vtili contenta competant. Iura et obligationes inter dominum et emphyteutam, quae circa ipſam emphyteuſin non verſantur, vero praeſtationem canonis reſpiciunt, qui ſemper praeſtandus, ita vt nihil interſit an parum, aut nihil vtilitatis ex emphyteuſi perceperit emphyteuta, et vel in pecunia, vel in re alia conſiſtere poteſt*, cum pro vtilitate quae ex re percipitur non detur, et ſit ſymbolum (§. 63.) *A canone vero differt laudemium* quod eſt pecunia quam nouus emphyteuta ſoluit domino pro receptione, *quod ſoluendum eſſe ex naturae et eſſentia emphyteuſeos non fluit*, indeque *ipſa laudemii praeſtatio eiusque quantitas per pactum inter dominum et emphyteutam initum determinari debent.*

§. 65.

Explicata doctrina de dominii hominum extra rempublicam viuentium natura et indole, nunc de eius *acquiſitione*, *amiſſione*, *perſecutione* et *conſeruatione* agendum.

§. 66.

Acquiſitio dominii fit, prout in genere iurium acquiſitio (§. 368. Introd.), vel per *ſucceſſionem*, vel *non.*

§. 67.

Quoad acquiſitionem dominii per *ſucceſſionem* hic notandum hanc ſucceſſionem plerumque eſſe haereditariam ſucceſſionem, licet et detur ſucceſſio in dominium ſingularis (§. 369. *Introd.*).

§. 68.

Succeſſio haereditaria in dominium praeſupponit ius haereditarium quo acquiſito ad eum effectum, vt ipſum dominium quod defuncti fuit noſtrum fiat, praeter apprehenſionem hereditatis eo animo factam nihil requiritur, diciturque illud dominium quod per ſucceſſionem haereditariam acquiſitum, ſi ea vniuerſalis eſt (§. 371. Introd.), *dominium haeredis vniuerſale et tam rerum defuncti corporalium quam incorporalium e. g. iuris pignoris, dominium ſub ſe continet.* Eſt enim hereditas, ſi adeſt aliquis cui ius hereditarium competit, res ſecundum quid nullius §. 427. 276. 205. Introd.

§. 69.

Praeter ſucceſſionem dominium acquiritur vel per immediatam, vel per mediatam acquiſitionem (§. 379. *Introd.*). Aſt *immediata* acquiſitio ratione dominii ſemper illa eſt quae in ſpecie ſic dictae opponitur (§. 380. *l. c.*) et fit, prout in genere, per *deuolutionem*, *conſolidationem* quoad dominium minus plenum, et *ius accreſcendi* ſi adeſt condominium (§. 384. *ſeqq. l. c.*), nec ſunt

 hic

hic ratione dominii ſingularia quaedam notanda.

§. 70.

Sequitur *mediata dominii acquiſitio* de qua notandum eam aliter fieri quoad res corporales, aliter quoad res incorporales. Quod itaque attinet dominii rerum incorporalium, ſeu iurium praeter dominium, mediatam acquiſitionem, de ea hic non agendum, ſed ſufficit dominii rerum corporalium mediatam acquiſitionem hic euolui. Quoties enim quis acquiſiuit ius aliud praeter dominium, illud ſuum ius eſt et eius dominium acquiſiuit, indeque, qui nouit quomodo iura reliqua praeter dominium acquirantur, ei ſimul cognita eſt doctrina de acquiſitione dominii rerum incorporalium. Quomodo vero reliquorum iurium praeter dominium, tam realium, quam perſonalium, acquiſitio fiat ex infra dicendis ſuis locis patebit.

§. 71.

Quod itaque attinet mediatam acquiſitionem dominii rerum corporalium, de quo nunc ſemper loquor, ea quidem per acquiſitionem eam mediatam, quae iuxta ſuperioria (§. 387. *Int.*) *per ſe* fit, fieri poteſt; non vero per eam quae *per conſequentiam* fit, cuius ſpecies ſupra (§. 388 *l. c.*) ſunt recenſitae, niſi forſan quis dominii pertinentiarum, quae res corporales ſunt, acquiſitionem

tionem huc referre velit, vel ſupponatur ſtatus a quo dominium rei corporalis dependet.

§. 72.

Quoad acquiſitionem dominii rerum corporalium mediatam quae *per ſe* fit vero notandum, titulum dominii translatiuum et modum acquirendi dominium a ſe inuicem diſtinguendum eſſe (§. 404. *Introd.*), et modum acquirendi eſſe duplicem, *originarium*, ſi res cuius dominium acquiritur eſt nullius, *deriuatiuum*, ſi eſt propria alicuius.

§. 73.

Ex variis ſupra (§. 389. *Introd.*) recenſitis acquiſitionibus mediatis quae per ſe fiunt vero, ratione dominii rerum corporalium non niſi *occupatio*, *praeſcriptio acquiſitiua*, et, quoad acquiſitionem quae per translationem iuris inter viuos fit, non niſi ea ſpecies huc pertinet quae *per actum qui de praeſenti abſoluitur* (§. 392. *l. c.*) fit. De quibus acquiſitionibus mediatis dominii nunc ſigillatim agendum.

§. 74.

Quod itaque I) *occupationem* quae duplex eſt, occupatio in ſpecie ſic dicta, et occupatio bellica (§. 394. *Introd.*), attinet, vtraque haec ſpecies quoad homines in ſtatu naturali viuentes locum habet, eaque vt factum conſtituit modum acquirendi dominium, ita tamen, vt occu-

patio

patio in ſpecie ſic dicta modus originarius, bellica vero deriuatiuus ſit (§. 72). Quumque leges naturales approbent hanc acquiſitionem, et ſecundum eas hoc factum dominium operetur, inde oritur titulus dominii translatiuus. (§. *cit.*).

§. 75.

Quum quoad *occupationem bellicam* in applicatione ad dominium ſufficiant quae ſupra de hac acquiſitione dicta ſunt, hoc loco quoad *occupationem in ſpecie ſic dictam* huc remiſſam (§. 395. *Introd.)* notandum 1) *eam praeſupponere ius occupandi ſiue commune, ſiue proprium ſit* (§. 204. *Introd.*), *prout acquiſitio per ſucceſſionem ius haereditarium praeſupponit* (§ 68.); *indeque rem nullius cedere occupanti non niſi tum verum eſſe, ſi vel res eſt ſimpliciter nullius* (§. 205. Int.), *vel ſecundum quid nullius ab eo occupatur qui habet ius occupandi;* 2) *occupationis quidem varias concipi poſſe ſpecies, pro rerum quae occupantur diuerſitate, veluti venatio, piſcatio* etc. *aſt eas in naturali iurisprudentia diſtincte euolui non opus eſſe;* 3) *ad acquiſitionem per occupationem non ſufficere ſolum viſum, non ſolam animi declarationem, ſed apprehenſionem requiri, ſiue fiat immediate, ſiue per inſtrumenta, indeque tantum acquiſitum eſſe quantum apprehenſum.* (§. 201. Introd.).

§. 76.

Progredior II) ad acquiſitionem dominii

quae

quae fit per *praeſcriptionem acquiſitiuam*, circa quam in applicatione ad dominium non niſi hoc notandum, quod hic factum quod modum acquirendi, qui deriuatiuus eſt, conſtituit, ſit ipſa poſſeſſio rei alienae, et cum leges naturales, prout in ſuperioribus iam euictum (§. 400. ſeqq. *Introd.*), in genere admittant praeſcriptionem tanquam legitimam acquiſitionem, nec in ſpecie ratione dominii rerum corporalium illam non obtinere probari poſſit, titulus in hac acquiſitione non deſit. Si itaque quae ſupra §. 400 *ſeqq. Introd.* indefinite poſita ſunt reſtringis ad poſſeſſionem rei alienae corporalis cum animo dominii coniunctam, habebis theoriam de praeſcriptione acquiſitiua dominii rerum corporalium.

CHRIST. GOD. WEIDLERI Diſſ. *de praeſcriptione in ſtatu naturali conſiderata.* Lipſ. 1739. 4.

IO. FRID. BERG ſub praeſ. MANTZELII Diſſ. *de diuerſitate praeſcriptionis iuris gentium et ciuilis.* Roſt. 1738.

L. F. LANGEMACKS *philoſophiſche Abhandlung von der Veriärung.* Berl. 1746. 8vo.

§. 77.

Sequitur III) acquiſitio dominii *per actum qui de praeſenti abſoluitur*, qui in genere talis eſſe debet per quem dominus pure, vel expreſſe, vel tacite declarat ſe velle rem ſuam eſſe alterius,

ita

ita vt hac declaratione facta ei qui acquirere vult, ſiue praeceſſerit pactum de transferendo dominio, ſiue non, ſiue accedat traditio rei, ſiue non, dominium ſit acquiſitum ab eo momento quo facta eſt. Eſt itaque hic modus acquirendi haec declaratio vel expreſſa, vel tacita, quae fit e. g. ſoluendo, dando in ſolutum, etc. nec titulus deeſt, cum leges naturales praeter voluntatem ad translationem dominii in alium nihil requirant. (§. 367. *Introd.*).

§. 78.

Ex his de dominii rerum corporalium acquiſitione mediata dictis itaque, vt ea magis iuri poſitiuo accommodemus, patet, modos acquirendi dominium naturales eſſe vel *originarios*, vel *deriuatiuos*. Aſt non niſi vnicum concipi poſſe modum originarium, qui eſt *occupatio in ſpecie ſic dicta*, licet tres dentur deriuatiui, qui ſunt *praeſcriptio acquiſitiua*, *declaratio domini alterum dominum eſſe de praeſenti facta* et *occupatio bellica*. Neutiquam vero ad modos acquirendi dominium naturales referri poſſunt 1) *acceſſio*; 2) *pactum* et 3) *traditio*; prout ex iis quae ſequuntur patebit.

§. 79.

Acceſſio dicitur quodlibet rei noſtrae incrementum. Vnde facile patet *varias dari acceſſionis ſpecies* hic non euoluendas. *Nulla harum ſpecie-*

ſpecierum vero inuoluit modum acquirendi dominium eius quod accedit. Aut enim quod accedit eſt res nullius, aut propria res. Si eſt res nullius nulla eſt ratio in ipſa acceſſione cur talis non maneat. Si eſt propria, aut eius iam eſt ad cuius rem accedit, tumque non acquiritur (§. 361. *Introd.*), aut eſt alterius, tumque iterum acceſſio ipſa non efficere poteſt dominum priorem rem ſuam amittere. Vnde ſimul patet, *ſi per acceſſionem ad rem meam venit alterius et acceſſio eſt ſeparabilis, ſeparationem fieri debere, ſi non, rem fieri pro rata communem.*

§. 80.

Similiter *pactum non eſt modus acquirendi dominium*, quoniam omne pactum in futurum promonet (§. 392. *Introd.*), et licet per pactum dominium rei promittatur, ipſum illud dominium tamen per illud non transfertur (§. 393. *l. c.*).

§. 81.

Tandem *traditio modus acquirendi dominium non eſt*, quum ea non niſi detentionem transferat (§. 105. *Introd.*).

HENR. a COCCEII Diſſ. *An traditio ſit neceſſaria ad transferendum dominium.* Leid. 1676. et in EIVSD. *exercit. Tom. I. p. 213. ſeqq.*

IO. FRID. WEIDLERI Diſſ. *de traditione rerum collato iure naturali et poſitiuo illuſtrata.* Witt. 1729.

§. 82.

§. 82.

Abſoluta doctrina de dominii acquiſitione, de eius amiſſione, quatenus eſt dominium rerum corporalium agendum, quum quoad dominium rerum incorporalium ſupra §. 70. dicta et hic locum habeant. Hoc dominium vero nonſolum amittitur per *modos communes* ſupra recenſitos (§. 414. ſeqq.), ſed et per modos huic *dominio proprios.*

§. 83.

Ex modis amittendi *communibus* huc referri poſſunt: 1) quoad amiſſiones *immediatas* omnes caſus in quibus alter immediate acquirit dominium rei noſtrae (§. 425. *Intr.*): 2) quoad amisſiones *mediatas* quae *per conſequentiam* fiunt, amisſio per a) *mortem* (§. 427. *l. c.*), b) *ſtatum, ſi ei dominium cohaeret* (§. 428. *l. c.*); c) *rei interitum* (§. 429. *l. c.*) d) *exiſtentiam conditionis reſolutiuae* (§ 432. *l. c.*) e) *inualiditatem actus per quem dominium translatum ex poſt ſuperuenientem* (§. 434. *l. c.*); *f*) *acquiſitionem dominii factam ab altero per occupationem bellicam, praeſcriptionem acquiſitiuam et actum inter viuos qui de praeſenti abſoluitur* reſpectu eius qui dominus erat (§. 435. *l. c.* et §. 73.): 3) quoad amiſſiones mediatas quae *per ſe* fiunt, amiſſio per a) *dationem in ſolutum in ſpecie ſic dictam* ratione dantis (§ 451. Intr.); b) *diuiſionem* (*l. c.*); c) *ſolutionem ſtricte et ſtrictiſſime*

me ſumtam, ratione ſoluentis (*l. c.*); d) *renunciationem* (§. 464. *l. c.*) quae, ſi tacita eſt, hic dicitur *derelictio*; e) *expletionem iuris* (§. 474. *l. c.*).

§. 84.

Quod *proprios* modos amittendi dominium attinet *per fugam rerum animatarum*, *ſi eas non amplius ab aliis eiusdem generis diſtinguere poſſumus, dominium earum amittimus, non vero per ſolam detentionis harum aliarumque rerum amiſſionem*, ſicque in genere *res amiſſae* quas, vbi ſunt, ignoramus, *et res abiectae*, quas ob imminens periculum ex noſtra detentione dimiſimus, *adhuc noſtrae ſunt*. Detentio enim non eſt ſubſtantiale dominii. Aſt ſi res diſcerni nequit idem eſt acſi non amplius exiſteret.

MICH. HENR. GRIEBNERI Diſſ. *de eo quod iuſtum eſt circa feras ex cuſtodia dilapſas Cap. I.* Lipſ. 1704. et in EI. Opuſc. Tom. V. Sect. III. Cap. I. p. 42. ſeqq.

GOTTL. GERH. TITII Diſſ. *de dominio in rebus occupatis vltra poſſeſſionem durante* Lipſ. 1704. et in EIVSD. Diſput. iurid. n. VII. p. 316. ſeqq.

§. 85.

Sequitur doctrina de *perſecutione* dominii et quidem rerum corporalium (§. 70.) *quae, in ſtatu naturali per bellum fit* (§. 492. *Introd.*). Caeterum hoc bellum eſt vel poſſeſſorium, vel petitorium (§. 490. *l. c.*) et quae de perſecutione

ne iurium et obligationum vt et poſſeſſionis §. 487. *ſeqq. Introd.*) quoad bellum docuimus hic locum habent.

§. 86.

Tandem et quoad dominii rerum corporalium *conſeruationem* (§. 70.) hic monendum, ea quae de conſeruatione iurium per *media violenta* (§. 524-559. *Introd.*) dicta ſunt, hic locum habere, ſi laeſio futura res noſtras reſpicit, ſicque per ea dominii conſeruatio fit; prout etiam quae de *mediis conſeruandi non violentis*, quae in ſtatu naturali et ciuili locum habent (§. 560-572. *l. c.*) dicta ſunt, hic locum habent, nec dantur ſingularia quaedam ratione dominii notanda.

§. 87.

Vltimum in doctrina de dominio euoluendum thema concernit obligationes aliorum dominio noſtro reſpondentes, quae generatim eo redeunt quod: 1) *ſine domini conceſſione ius ad dominium ſpectans, ſiue ſit tale quod verſatur circa ipſum dominium, ſiue tale quod circa rem in dominio exiſtentem verſatur* (§. 209. Introd.), *nemini exercere liceat;* 2) *qui rem alienam detinet eam reſtituere debeat domino rem ſuam repoſcenti, niſi habeat ius in re illa conſtitutum, vi cuius domino reſtitutionem denegare poſſit;* 3) *praeter rem reſtitui debeant domino omnia emolumenta ex re percepta immo et*

non-

nonnunquam quae percipi potuiſſent, licet percepta non ſint, quatenus cum impenſis a domino reſtituendis non compenſari poſſunt, ſecundum ea quae de fructuum et impenſarum reſtitutione ſupra (§. 239 et 240. *Intr.*) *dicta ſunt;* 4) *damnum dolo vel culpa datum reſarciendum ſit* (§. 182. *Introd.*).

TIT. II.

DE IVRIBVS IN RE ALIENA CONSTITVTIS.

§. 88.

Abſoluta doctrina de dominio, progredior ad nouam iurium in re ſpeciem (§. 41.) *iura* nimirum *in re aliena*, ſiue ſit corporalis, ſiue incorporalis, *conſtituta*, quae ſunt iura cum re aliena obiectiue connexa, ſiue ſint ſimul ſubiectiue cum re quadam connexa, ſiue non (§. 135. *Introd.*).

§. 89.

Hinc fluit: 1) *non omnia iura in dominio contenta a domino in nos translata, eſſe iura in re aliena conſtituta;* 2) *iura in re aliena conſtituta non ſemper eſſe particulam dominii rei alienae;* 3) *iura in re aliena conſtituta in perſonalia et realia, ſcilicet ſubiectiue talia, diuidi poſſe;* 4) *dominium proprietatis, directum et vtile* (§. 213. Introd.) *ideo non eſſe iura in re aliena conſtituta, quoniam inuoluunt ius proprium de rei ſubſtantia diſponendi, ſicque dominia ſunt* (§. 199. *l. c.*), *et res quarum dominium proprietatis,*

directum, vel vtile nobis competit, in reſpectu ad nos non ſint res alienae.

§. 90.

Libertas rerum noſtrarum naturalis dicitur ea rerum noſtrarum conditio, quod ſint a iuribus aliis in iis conſtitutis liberae.

§. 91.

Libertas rerum naturalis praeſumitur, quum facti ſit iura in re aliena conſtituta eſſe (§. 498. Introd.), hincque *dominus qui prouocat ad libertatem hanc a probatione eius immunis eſt, et is qui aſſerit ſibi competere ius in re aliena conſtitutum probare debet illud conſtitutum eſſe* (§. 502. *l. c.*).

§. 92.

Iurium in re aliena conſtitutorum dantur quidem infinitae ſpecies, ſunt tamen quaedam quae ſpecialia habent nomina, de quibus nunc ſigillatim agendum. Sunt vero tales 1) *ſeruitus rerum*, quae etiam ſimpliciter ſeruitus appellari ſolet, et ſeruituti perſonarum contradiſtinguitur; 2) *ius pignoris;* 3) *ius cenſiticum;* 4) *ius bannarium;* 5) *ius retractus.*

§ 93.

Quod itaque attinet I) *ſeruitutem*, ea eſt ius in re aliena conſtitutum, vi cuius dominus vel quoad rei ſuae vſumfructum aliquid pati, vel quoad eius proprietatem aliquid omittere debet,

debet, diciturque ſeruitus in caſu priori *affirmatiua*, in poſteriori *negatiua*.

§. 94.

Quum id quod pati vel non facere tenetur dominus ſeruitute conſtituta, infinitis modis variare poſſit, *infinitas dari ſeruitutum affirmatiuarum et negatiuarum ſpecies facile patet*, quae potius in ſyſt. iur. poſit. quam hic euoluendae ſunt.

§. 95.

Seruitutis obiectum ſemper eſt res, id vero cui ſeruit res, vel eſt res, vel perſona (§. 93.), vnde oritur ſeruitutis diuiſio in *realem* et *perſonalem*.

§. 96.

In ſeruitutibus realibus per ſe quidem ſeruitus perſonae non competit, ſed tamen per rem in perſonam deriuatur. Non res enim ſed perſona ius exercet.

§. 97.

Seruitus vel in omne tempus, vel in certum tempus conſtitui poteſt (§. 93.) tumque in priori caſu dicitur *perpetua*, in poſteriori *temporaria*.

§. 98.

Omnis ſeruitus ſiue ſit affirmatiua, ſiue negatiua dominium diminuit, licet diuerſo modo, et dominus ſeruitute conſtituta omne id omittere debet quo ſeruitutis exercitium impeditur. Prius patet per §. 207. n. 2. Introd., poſterius per § 182. *l. c.*

§. 99.

Nemo ſeruitutem rei imponere poteſt quam domi-

nus, etſi non praeciſe requiratur quod ſit dominus plenus, ſed potius quilibet dominus minus plenus, eatenus ſeruitutem rei imponere poteſt, quatenus non niſi ſuum dominium minus plenum per eam diminuitur. Diſponit enim de re qui ei imponit ſeruitutem. Ergo (§. 199. *Introd.*).

§. 100.

Si res quae ſeruit reficienda, et refectio talis eſt, vt, ſi illa omittatur, ſeruitus amplius exerceri nequeat, refectio incumbit domino cuius res ſeruit. Si vero opus manu factum, ſine quo ſeruitus exerceri nequit, reficiendum, refectio operis incumbit ei cui ſeruitus competit, et pati debet dominus rei quae ſeruit refectionem. Rem enim reficere debet is cuius eſt, et dominus omittere debet omne id quo ſeruitutis exercitium impeditur (§. 98.).

§. 101.

Si ſeruitute conſtituta, tertio eadem vel alia ſeruitus conſtitui, vel ipſe dominus re ſua vti poteſt, ſine impedimento prioris ſeruitutis, domino licet eandem vel aliam ſeruitutem alteri conſtituere, prout etiam ipſe eatenus adhuc vti poteſt re ſua. Quodſi vero ſine impedimento prioris ſeruitutis tertio eadem vel alia ſeruitus conſtitui, vel dominus ipſe vti re ſua nequit, nec alteri talem ſeruitutem conſtituere, nec ipſe vti poteſt re ſua dominus. Per §. 98.

§. 102.

Sequitur II) *ius pignoris*, quod eſt ius in re aliena in ſecuritatem eius, quod debet alter, con-

conſtitutum, eſtque vel *ius pignoris in ſpecie ſic dictum*, ſi res oppignorata poſſidetur a creditore, vel *ius hypothecae*, ſi creditor rem oppignoratam non poſſidet, ſicque *ius pignoris in re tradita, ius hypothecae vero in re non tradita conſtituitur.*

§. 103.

Ex his notionibus fluunt haec corrolaria: 1) *Tam vi iuris pignoris in ſpecie ſic dicti quam vi iuris hypothecae, creditor habet ius conditionatum rem oppignoratam alienandi et de pretio tantum retinendi, quantum ad hoc ſufficit, vt ſibi ſatisfiat, et ipſa conditio a qua hoc ius dependet haec eſt, ſi debitum debito tempore non ſoluitur. In ſpecie vero vi iuris pignoris in ſpecie ſic dicti, creditor praeterea ius poſſidendi tam diu habet, donec debitum ſolutum.* 2) *Si facta alienatione rei oppignoratae adeſt pars pretii rei oppignoratae, quae id quod creditori debetur excedit, qualis pars* hyperocha *dicitur, ea debitori reſtituenda.* 3) *Ius pignoris per ſe non dat creditori ius re oppignorata vtendi, etſi non repugnet naturae huius iuris ius vtendi re oppignorata creditori concedi, vnde oritur* pactum antichreticum.

§. 104.

Ius pignoris in ſpecie ſic dictum diminuit dominium, et tam ius pignoris in ſpecie ſic dictum quam ius hypothecae illud limitant. Per §. praec. n. 1.

§. 105.

Oppignoratio non quidem inuoluit praeſentem do-

minii per alienationem in creditorem translationem, eſt tamen via ad alienandum. Itidem per §. praec. num. 1. Hinc patet *a facultate alienandi rem dependere facultatem eam oppignorandi.*

§. 106.

Leges naturales nemini immediate ius pignoris dant, ſed potius omnis oppignoratio fieri debet a domino rei quae oppignoratur, ſiue res illa ſit corporalis, ſiue incorporalis. (§. *praec.*).

§. 107.

Si ergo *dominium rei in minus plena dominia diuiſum, res illa ipſa oppignorari nequit ſine omnium qui de dominio rei participant conſenſu. Ipſum dominium minus plenum vero a ſolo eo cui competit oppignorari poteſt, quatenus illud ſolus alienare poteſt.*(§.217.*Intr.*)

§. 108.

Res nonſolum oppignorari poteſt pro debito proprio ſed et pro debito alieno; prout etiam plures res vni, et pluribus vna res oppignorari poteſt. Id quod per ſe patet.

§. 109.

Si eadem res pluribus oppignorata fuerit pro ſumma pecuniae quae ſuperat eius pretium, re diſtracta in ſolutione debiti is cui primo oppignorata, praefertur ei cui ſecundo oppignorata, et ita porro, nec datur alia iuris pignoris qualitas, vi cuius vnus prae alio potior in pignore, praeter tempus. (§.255. *Introd.*).

§. 110.

Debitori competit ius per ſolutionem debiti a pigno-

gnoris nexu liberandi rem ſuam, id eſt, reluendi pignus, *quocunque tempore. Poteſt vero debitor huic iuri renunciare quod duplici modo fieri poteſt, vel ita, ſi iuri reluendi certum tempus tanquam terminus a quo praeſigitur, vel ita, ſi ei certum tempus tanquam terminus ad quem praefigitur, ſicque* pactum commiſſorium *iuris pignoris conſtitutioni adiicitur.*

L. F. LANGEMACKS *Pfand- und Hypotheken-Recht aus philoſophiſchen Gründen hergeleitet.* Berl. 1745. 8.

§. 111.

Ad iura in re aliena conſtituta pertinet III) *ius cenſiticum*, vi cuius dominus certo anni tempore dare debet rem quandam: IV) *ius bannarium reale*, vi cuius dominus aliquid facere debet; V) *ius retractus*, (*der Abtrieb*) vi cuius dominus pati debet nos rem a ſe alienatam reuocare a nouo domino.

§. 112.

Ius cenſiticum, ius bannarium et ius retractus in eo differunt a iure pignoris, quod haec iura non in eum finem ſint conſtituta vt adſit ſecuritas obligationis expletionem fieri: a ſeruitutibus vero in eo differunt quod vi horum iurium dominus nec pati, nec non facere teneatur; niſi quod vi iuris retractus pati quidem teneatur, aſt non ita prout conſtituta alteri ſeruitute pati debet, cum nihil ratione vſusfructus rei ſuae patiatur. Per comparationem definitionum harum ſpecierum iuris in re (§. 93. 102.).

§. 113.

Ius cenſiticum, bannarium et retractus dominium non diminuunt, nec limitant illud, ſi diſceſſeris a iure retractus; quippe quod, licet alienandi facultatem non tollat, efficit tamen dominum non poſſe alienando dominium ſuum transferre in quem vult, eo effectu vt penes eum maneat. Id quod ex ipſis definitionibus (§. 111.) obuiis prono alueo fluit, addito §. 209. num. 2.

§. 114.

Id quod vi iuris cenſitici dominus dare debet alteri, dicitur *cenſus;* res ex qua cenſus praeſtari debet, *praedium cenſiticum;* dominus rei ex qua praeſtari debet, *cenſualis;* qui accipit eum, *dominus cenſus. Eſt* itaque *cenſus annuus reditus realis, qui in pecunia et quacunque re alia mobili corporali conſiſtere poteſt, et licet ex iuris cenſitici natura non fluat praedii cenſitici dominium eſſe diuiſum inter dominum cenſus et cenſualem in directum et vtile, ita vt domino cenſus illud, cenſuali hoc competat, naturae huius iuris tamen haec diuiſio non repugnat, tumque praedium cenſiticum et emphyteuſis parum differunt inter ſe* (§. 63.).

§. 115.

Eſt et hic *iuris ſuperficiarii* mentio facienda, quod eſt ius ſuperficiem habendi in ſolo alieno. Hinc fluit, in ſubſidium adhibita ſeruitutis definitione, haec theſis: *Ius ſuperficiarium tum quidem*

ius

us in re eſt, ſi eſt in ſolo alterius conſtitutum, prout etiam, ſi ita conuentum, dominium ſuperficiei ſolo impoſitae diuiſum eſſe poteſt inter dominum ſoli et eum qui ſuperficiem imponendi ius habet, ſeu ſuperficiarium, ita vt domino ſoli directum, ſuperficiario vtile eius dominium competat: aſt ex natura et eſſentia iuris huius nec fluit ius in re eſſe, nec dominium ſuperficiei dicto modo eſſe diuiſum, ſique hoc ius in ſolo alieno, ſicque ius in re aliena, conſtitutum eſſe ſupponitur, ex ſua natura ſeruitus ſolo impoſita eſt, pleno dominio ſuperficiei apud ſuperficiarium manente, et ſi hic pro hac participatione de vſu rei alienae domino ſoli annuatim aliquid ſoluere debet, id quod ſoluit, dicitur *ſolarium.*

§. 116.

Sufficiant haec de natura et indole iurium in re aliena conſtitutorum, quibus in domino reſpondent obligationes, quae ex indole horum iurium per ſe fluunt. Nunc itaque de horum iurium *acquiſitione*, *amiſſione*, *perſecutione* et *conſeruatione* agendum.

§. 117.

Quod itaque attinet acquiſitionem horum iurium, ante omnia hic notandum aliam eſſe acquiſitionem quae fit dum conſtituuntur, aliam quae fit poſtquam iam conſtituta ſunt. Fit vero conſtitutio vel *per naturam immediate*, vel *facto quodam interueniente*, licet per naturam immedia-

mediatae nullum ius in re aliena conſtituatur praeter ſeruitutem, in caſu quo praedii noſtri ſitus talis eſt, vt per neceſſitatem naturae praedium vicini aliquid pati teneatur, vnde oriuntur *ſeruitutes* quae *naturales*, ſeu *natura conſtitutae*, dicuntur.

IO. NIC. HERTII Diſſ. *de ſeruitute naturaliter conſtituta.* Giſſ. 1704. et in opuſc. eius Vol. II. Tom. III. p. 103-154.

§. 118.

Facto quodam interueniente fit conſtitutio iurium in re aliena conſtitutorum triplici modo per 1) *vltimam voluntatem*, dum dominus alicui per eam defert tale ius; 2) *translationem inter viuos per actum qui de praeſenti abſoluitur factam*, dum dominus per talem actum alicui defert ius in re ſua; 3) *praeſcriptionem conſtitutiuam*, dum quis exercere incipit tale ius, et poſſeſſione ſic acquiſita accedunt requiſita ad praeſcriptionem conſtitutiuam neceſſaria, ſupra §. 400. ſeqq. explicata.

§. 119.

Ad eam acquiſitionem iurium in re aliena conſtitutorum quae fit dum conſtituuntur, quaeque *originaria* ſeu *conſtitutiua* dici poteſt, vel nihil praeter id per quod conſtitutio fit requiritur, veluti ſi fit per praeſcriptionem, vel ſolam acceptationem accedere ſufficit, veluti

in

in duobus reliquis caſibus; immo proprie loquendo ne quidem pro conſtituto haberi poteſt ius in re aliena, antequam acceptatio acceſſit.

§. 120.

Acquiſitio iurium in re aliena conſtitutorum quae fit iis iam conſtitutis, quaequae *deriuatiua* ſeu *translatiua* dici poteſt, fit 1) per *ſucceſſionem*, ſi haereditas talia iura continet (§. 369. *Introd.*); 2) per *acquiſitionem praeter ſucceſſionem*; quoad *mediatam acquiſitionem* quae *per conſequentiam* fit, ſi ius in re aliena conſtitutum ſimul ſubiectiue reale eſt, nosque rem, cui tanquam ſubiecto inhaeret, acquirimus: quoad acquiſitionem mediatam vero quae *per ſe* fit, per a) *translationem inter viuos mediante actu qui in praeſens abſoluitur factam* (§. 393. *l. c.*); b) *praeſcriptionem translatiuam.* (§. 400. ſeqq.).

§. 121.

Amiſſio iurium in re aliena conſtitutorum fit I) quoad amiſſionem *mediatam* quae *per conſequentiam* fit per a) *mortem*, ita, vt tum ſi ſunt ſubiectiue perſonalia et quidem perſonaliſſima extinguantur (§. 427. *Intr.*), non vero ſi ſubiectiue realia, veluti ſeruitutes reales, ſunt; b) *interitum rei*, tam eius in qua ius conſtitutum, quam eius cui ſubiectiue inhaeret, ſi quidem in hoc caſu ius ſubiectiue et obiectiue reale ſimul eſt (§. 429. *l. c.*); c) *confuſionem*, ſi nimi-

nimirum res in qua ius conſtitutum eius fit, cu ius in ea tanquam hactenus aliena competiit (§ 431. *l. c.*); d) *exiſtentiam conditionis reſolutiua* (§. 432. *l. c.*); e) *inualiditatem actus per quem acquiſitum quique hactenus validus fuit* (§. 434 *l. c.*), veluti ſi ob clauſulam rebus ſtantibus, ve quoniam reſolutum eſt ius dantis, ſicque et re ſoluitur ius accipientis, inualidus fit; f) *acqui ſitionem translatiuam* ab altero factam (§. 435. *l c.*); g) *praeſcriptionem extinctiuam*, ſi nimirum dominus poſſeſſionem libertatis naturalis rei acquirit et accedunt requiſita praeſcriptionis extinctiuae §. 440. *l. c.* explicata. II) Quoad amiſſionem mediatam quae *per ſe* fit, per a) *renunciationem* (§. 464. *ſeqq. l. c.*) b) *reuocationem* (§. 468. *ſeqq.*) c) *abuſum*, quoad ſeruitutes (§. 477. *ſeqq. l. c.*), ſi nimirum adſunt circumſtantiae ibi recenſitae d) *ſolutionem* ſeu *expletionem obligationis* (§. 450. *ſeqq. l. c.*) quoad ius pignoris, licet ſolutio per ſe debitum, et non niſi per conſequentiam ius pignoris extinguat.

§. 122.

Quoad amiſſionem iurium in re aliena conſtitutorum per interitum rei, cuius §. praec. mentio facta, ſpeciatim notandum eſt: 1) ſi *res ex variis partibus conſtat, quarum vna adhuc ſupereſt, ius adhuc ſubſiſtere in ea parte quae ſupereſt, niſi praeciſe efficiat partem rei quae non amplius ſupereſt*; 2) *interitum rei non eſſe, ſi res artificialis collapſa*

reſe-

refectione indiget, quo caſu iura in illa conſtituta, quae nunc exerceri nequeunt, quieſcunt tantum et re reſtituta reuiuiſcunt. (§. 430. Introd.).

§. 123.

Quoad *perſecutionem* et *conſeruationem* iurium in re aliena conſtitutorum obtinent ea quae de perſecutione et conſeruatione dominii §. 85. 86. dicta ſunt.

TIT. III.
DE IVRE OCCVPANDI.

§. 124.

Sequitur tertia ſpecies iuris in re, nimirum ius occupandi (§. 42), ſupra (§. 201. 204. *Intr.*) iam definitum et diuiſum in *commune* et *proprium*; de quo hic quoad homines extra rempublicam viuentes agendum, et quidem, cum nunc officia hominum erga alios hypothetica explicanda, de proprio, quod iterum duplex eſt, prout res nullius quas vi eius occupare licet, vel ſunt haereditas, vel non. Quum vero prius ius occupandi ſpeciale habeat nomen et ius haereditarium dicatur, poſterius ſimpliciter ius occupandi dicitur, de quo hic agendum.

§. 125.

Ius occupandi et occupatio in eo differunt quod ius occupandi ſit ius, occupatio factum, quod eſt mo-

dus

dus acquirendi dominium originarius. Per comparationem definitionum §. 201. *Introd.* obuiarum, et §. 74.

§. 126.

Licet ius occupandi proprium ſit in dominio, non tamen dominium eſt, nec eſt ius in re aliena conſtitutum. Ex comparatione definitionum (§. 199. 201. *Introd.* et §. 88.) de veritate conſtabit.

§. 127.

Ius occupandi differt pro rerum quas vi eius occupare licet diuerſitate, vnde variae eius oriuntur ſpecies, veluti *ius venandi*, *piſcandi*, *aucupii*, *metallifodinae* etc. quarum euolutio ad iur. poſit. remittenda.

IO. AD. ICKSTATT *de eo quod iure naturali circa venationes iuris eſt.* Herbip. 1736. et in EI. Opuſc. Tom. I. p. 392. ſeqq.

§. 128.

Vi iuris occupandi occupare non licet res amiſſas et abiectas, aſt tamen in cuſtodiam ſuam recipere eas poteſt is cui ius occupandi tales res, ſi eſſent res nullius, competit, et fiunt hae res eius, ſi dominus eas non repoſcit, nec is omni adhibita diligentia inueſtigari poteſt. Prius patet ex §. 84. Poſterius ex hypotheſibus adiectis facile deduci poteſt.

§. 129.

Si is cui competit ius occupandi proprium certi generis res nullius, ingredi vult fundum meum an tales

res

res in eo obuiae ſunt inquirendi et, ſi adſunt, occupandi gratia, et ingreſſum prohibere nequeo, quatenus mihi inquirendo et occupando nullum infert damnum. Iuris ſui vſum enim cuilibet concedere debeo, et ex eo quod ingrediatur alter fundum meum dicti finis cauſa per ſe damnum mihi non infertur.

§. 130.

Iuris occupandi limites triplici modo determinati eſſe poſſunt, vel ſecundum *res certi generis tantum*, vel *ſecundum certum diſtinctum tantum*, vel *ſecundum res certi generis et certum diſtinctum ſimul, et in hoc vltimo caſu fieri poteſt plures in eodem diſtrictu diuerſo iure occupandi gaudere*. Id quod per ſe patet.

§. 131.

Ius occupandi proprium vel ſolitarium eſt, vel cammunio e. g. ius conuenandi. Sed ex eo quod duo vel plures ius occupandi habeant in eodem diſtrictu, non ſequitur illud eſſe in communione, potius tum ſi vel cuiuslibet ius occupandi ad res certi generis reſtrictum, vel vni competit hoc tempore, alteri alio tempore, ius occupandi eſt ius ſolitarium. Per §. 147. *Introd.*

§. 132.

Ius occupandi varia iura a ſe inuicem diuerſa ſub ſe non continet, ſed potius eſt ſimpliciſſimum ius

quod totum facultate rem apprehendendo in dominiu[m] redigendi abſoluitur. Per definitionem §.201.*Int*

§. 133.

Si quis res ſecundum quid nullius occupat, qua[m] mihi ius occupandi tales res proprium competat, re[s] quas occupauit eius non ſiunt, ſed ego eas ei eripe[re] poſſum, reſtitutis tamen impenſis in occupationem fa[ctis]. Occupo enim, dum eripio, reuera re[m] nullius. Reſtitutio impenſarum fluit ex § 184. *Introd.*).

§. 134.

Ius occupandi proprium acquiritur, prou[t] ius in re aliena conſtitutum, vel dum conſtitui-tur, vel iam conſtitutum ab altero acquiritur, vt itaque et hic acquiſitio *conſtitutiua* et *transla-tiua* a ſe inuicem diſtingui poſſint. *Conſtituitur vero et acquiritur ſimul priori modo, dum quis illud ſibi proprium facit mediante huius rei incorporalis apprehenſione, quod quatenus fieri poſſit ex* §. 204. *Introd. patet. Aſt per occupationem rei nullius cor-poralis non ſimul ius occupandi proprium res nul-lius in ea obuias conſtituitur et acquiritur,* et in ge-nere: *nullum dominium rei corporalis ſub ſe continet tanquam ius in eo contentum ius proprium occupandi res nullius in ea re obuias,* hincque *domino ſyluae, fluminis etc. non competit vi huius dominii ius venan-di, piſcandi etc.* Deeſt enim in vtroque caſu vis conſequutionis.

§. 135.

§. 135.

Iam conſtitutum ius occupandi proprium alterius, acquiritur ita, prout ius in re aliena conſtitutum per translatiuam acquiſitionem acquiri ſupra §. 120. *diximus.* Deeſt enim ratio differentiae.

§. 136.

Amiſſio iuris occupandi fieri poteſt variis modis, veluti quoad amiſſionem *mediatam* 1) quae fit *per conſequentiam* per a) *mortem* (§. 427. *Intr.*), b) *exiſtentiam conditionis reſolutiuae* (§. 432. *l. c.*) c) *inualiditatem actus per quem acquiſitum qui hactenus validus fuit* (§. 434. *l. c.*) d) *acquiſitionem translatiuam ab altero factam* (§ 435. *l. c.*); 2) eam vero quae fit *per ſe*, per a) *renunciationem* (§ 464. *l. c.*) b) *reuocationem* (§. 468. *l. c.*).

§. 137.

Quod attinet perſecutionem et conſeruationem huius iuris locum et hic habent quae de dominii rerum corporalium perſecutione et conſeruatione §. 85. 86. *dicta ſunt.* Per rationis identitatem.

§. 138.

Obligationes iuri occupandi noſtro in aliis reſpondentes fluunt ex dictis §. 132. ſuntque: 1) *quemlibet abſtinere debere ab occupatione rerum quae ſub limitibus iuris occupandi nobis competentis comprehenſae* (§. 130.). 2) *Dum in actu occupandi conſtituti ſumus, nemini licere vllo modo impediendi occupationem.* 3) *Licet ius occupandi in alieno fun-*

do non ſit ſeruitus, ſeu aliud ius in re aliena conſtitutum, domino fundi tamen non licere in praeiudicium iuris occupandi diſponendi de fundo ſuo.

TIT. IV.

DE IVRE HAEREDITARIO.

§. 139.

Poſtquam de tribus iuris in re ſpeciebus, quae quoad homines extra rempublicam viuentes locum habere poſſunt, et ad iurisprudentiae naturalis in ſpecie ſic dictae partem, quam hic tradimus, pertinent, actum, ſequitur quarta et vltima, nimirum *ius haereditarium* (§. 41.) de quo generalia quaedam principia (§. 376. *ſeqq. Introd.*) praemiſſa ſunt. Quum vero ius haereditarium, prout ex eius notione patet, concernat ſucceſſionem haereditariam, nec tamen omnis haereditaria ſucceſſio ad hanc iurisprudentiae partem, quam nunc tractamus, referri poſſit, ante omnia monendum hic non niſi de eo iure haereditario quod reſpicit ſucceſſionem in dominium, et quidem eiusmodi rerum quae non ſunt feuda, agendum, quum id ius haereditarium quod ſucceſſionem in dominium feudi, vt et in imperium ciuile ſeu publicum reſpicit, infra ſuis locis euoluendum.

§. 140.

Licet ius haereditarium ſit res incorpora-

lis quae in dominio eius qui ſibi illud acquiſiuit eſt, et is qui vi iuris haereditarii ad ſucceſſionem admittendus per ſucceſſionem dominium acquirat, quod, ſi ſucceſſio eſt vniuerſalis, vniuerſale dicitur (§. 68.), *ipſum ius haereditarium tamen non eſt dominium* (§. 199. *Introd.*). *Nec eſt ius in re aliena conſtitutum*, quum id in quo ſucceſſio fit defuncti non amplius ſit, ſed per mortem eius res nullius factum (§. 83.). Licet vero *inter ius occupandi proprium et ius haereditarium ſit maxima ſimilitudo, adeſt tamen differentia* in eo, quod iuris haereditarii obiectum praeciſe ſint res nullius quae defuncti fuerunt et per mortem tales factae ſunt (§. 184.).

§. 141.

Haereditas dicitur rerum a defuncto relictarum vniuerſitas, ſeu patrimonium quod defuncti fiat. *Licet* itaque *ſine haereditate non poſſit concipi ius haereditarium, non tamen praeciſe requiritur ius haereditarium afficere vniuerſam haereditatem, ſed et res ſingularis ex haereditate iuris haereditarii obiectum eſſe poteſt.* Vnde conſequens eſt, *tam ius haereditarium vniuerſale, quam particulare concipi poſſe, quorum prius ſucceſſorem facit haeredem, poſterius ſucceſſorem particularem.* (§. 371. *Introd.*).

§. 142.

Rerum a defuncto relictarum vniuerſitas quae haereditatem conſtituit, aut conſtat ex di-

uerſis particularibus vniuerſitatibus rerum a ſe inuicem ratione ſucceſſionis diuerſarum, au non. *In priori caſu tot diuerſae oriuntur haeredita tes, quot obuiae ſunt in tota haereditate diuerſae iſti usmodi maſſae bonorum ratione ſucceſſionis a ſe inui cem ſeparandorum, et licet quilibet eorum, qui vnan vel alteram harum particularum haereditatum acqui rit, haeres dici poſſit, ſunt tamen diuerſi generis hae redes v. g. haeres in bonis acquiſitis, haeres bonorum haereditariorum, nec adeſt inter eos communio iuri haereditarii ratione totius haereditatis, ſed potiu cuiuslibet ius haereditarium eſt ius ſolitarium* (§. 147. *Int.*), *reſpectu eorum quibus in bona aliu generis ius haereditarium competit. In poſterior caſu vero haec omnia aliter ſe habere per ſe patet et, ſi in eo plures ſunt qui ſimul totam haereditaten acquirunt hi, aeque ac illi qui in priori caſu vnam ſeparatarum a ſe inuicem haereditatum ſimu acquirunt, cohaeredes dicuntur.* Vt itaque *cohae redes* ſint qui vnam eandemque haereditaten ſimul acquiſiuerunt.

§. 143.

Quum haereditas ſit rerum a defuncto re lictarum vniuerſitas, facile patet: *ad haereditaten pertinere res omnes tam mobiles quam immobiles, ſiu fuerint in poteſtate defuncti ſiue alterius, nomina iura omnia qualiacunque fuerint, exceptis perſonaliſſ mi*

mis. Res vero alienas ad haereditatem non pertinere et aes alienum ab ea deducendum eſſe. (§. 408. 427. *Introd.*).

§. 144.

His de haereditate, ſine qua non datur haereditarium ius, praemiſſis, proprius me adcingo ad huius iuris explicationem. Conſtat vero varias eius dari ſpecies (§. 376. *Introd.*), ex quibus id quod *vulgare* diximus, ab eo quod eſt *ex pacto et prouidentia maiorum*, hic diſtinguendum. De *vulgari* itaque primo agendum, vbi ante omnia eius originem et diuerſum fundamentum diſtincte doceri neceſſe erit.

§. 145.

Leges naturales quemlibet hominem obligant vt aliorum perfectionem promoueat (§. 26.), quod cum fiat etiam per curam vt bonis inſtructi fiant, leges naturales hanc obligationem nobis imponere dubio caret. Quodſi itaque homo moritur qui bonis ſibi propriis inſtructus fuit, ceſſat quidem in mortuo obligatio his bonis, quae ſibi propria fuerunt, aliorum perfectionem promouendi, aſt, cum mors non efficiat res ipſas, quae defuncti fuerunt, interire, per res, quarum dominus defunctus fuit, perfectio aliorum adhuc promoueri poteſt, dum eas in ſuum dominium redigunt mediante apprehenſione. Vnde, ſi quis video, prono alueo fluit ſecundum na-

turales leges homines viuentes ius habere mortui patrimonium, id eſt, eius haereditatem, apprehendendo in ſuum dominium redigendi. Aut itaque poſt mortem hominis qui patrimonium habuit, adſunt tales quorum perfectionem defunctus dum viueret per bona ſua promouendi ob varios nexus, veluti nexum generationis, praecipue et prae aliis per bona ſua promouendi obligatus fuit, aut non. Si poſterius, bona ſua tanquam res ſimpliciter nullius cedunt cuilibet occupanti vi iuris occupandi communis, cum tum nulla adſit ratio cur potius huic quam alii homini competeret: cum vero in priori caſu talis non deſit, dictis hominibus prae aliis leges naturales ius proprium bona defuncti poſt mortem eius in ſuum dominium redigendi, ſicque ius ad ſucceſſionem haereditariam, deferunt. At enim vero ius vi cuius ad ſucceſſionem haereditariam admittendi ſumus dicitur ius haereditarium (§. 376. *Introd.*), ſique illud immediate ex lege eſt legitimum audit (*l. c.*): *datur* itaque *ſecundum leges naturales ius haereditarium legitimum*, *quod*, *ſi adſunt tales homines ad quorum perfectionem per bona ſua promouendum praecipue et prae aliis defunctus obligatus fuit*, *his ſolis defertur.*

§. 246.

Homines ad quorum perfectionem praecipue et prae aliis per bona ſua promouendum defun-

funċtus fuit obligatus, quibus per §. *praec.* leges immediate deferunt ius haereditarium, duplicis generis ſunt. Alii tales quibus ad alimenta ſubminiſtranda perfeċte fuit obligatus, alii non. Eſt itaque ius haereditarium legitimum duplex pro hac diuerſitate. Prius *perfeċtum*, poſterius *imperfeċtum*, in relatione ad defunċtum, appellare liceat. Quum vero ad alimenta eorum ad quos alendos defunċtus perfeċte obligatus fuit, pro caſuum diuerſitate, vel pars haereditatis defunċti ſufficere poſſit, vel non; facile patet *ius haereditarium legitimum perfeċtum pro caſuum diuerſitate vel totam haereditatem, vel non niſi eius partem afficere, licet hoc caſu quoad reliquam patrimonii partem ius haereditarium legitimum imperfeċtum adſit.*

DIET. GOTTF. ECKHARD Diſſ. *An et in quantum iure naturae parentes obligentur ad haereditatem liberis poſt obitum relinquendum.* Lipſ. 1720.

HELM. HERM. NATH. WILCKENS *Diſſ. iur. nat. de ſucceſſione ab inteſtato.* Ien. 1754.

§. 147.

Quum ex eo quod homo moriatur non niſi hoc fluat, hunc hominem qui moritur rerum ſuarum dominium amittere, inde vero non ſequatur eum, dum adhuc viuit, diſponere non poſſe quem velit per ſucceſſionem illud poſt mortem ſuam acquirere; nulla adeſt ratio cur ei, qui dominium tale de quo diſponere poteſt,

id eſt, patrimoniale dominium habet, deneganda facultas dum adhuc viuit ſuam ſucceſſionem determinandi. Quumque porro nulla ſolida allegari poſſit ratio, cur homo qui ſuam ſucceſſionem determinandi facultatem habet hoc non aeque per vltimam voluntatem, quam per pactum ſucceſſorium et donationem mortis cauſa (§. 268. *Introd.*) facere poſſit, dubio caret homines in naturali viuentes vel per vltimam voluntatem, vel per pactum ſucceſſorium, vel per donationem mortis, ſicque in genere per ſuam voluntatem, determinare poſſe ſuam ſucceſſionem. At enim vero tale ius haereditarium dicitur voluntarium, quod abit pro diuerſitate modi declarandi voluntatem in teſtamentarium, pactitium et mixtum (§. 375. 376. *Introd.*); *poteſt* itaque *praeter ius haereditarium legitimum in ſtatu naturali concipi ius haereditarium voluntarium, treſque eius dantur ſpecies teſtamentarium, pactitium et mixtum.*

IO. CHRIST. CLAPROHT *Abhandlung ob die Teſtamente nach dem Rechte der Natur Statt haben.* Habetur in AVCT. *iuriſt. philoſ. vnd crit. Abhandlungen St. 4. Abh. 10.*

IO. CHRIST. RVDOLPH Diſſ. *de vltimis voluntatibus iure naturae validis.* Erl. 1753.

I. F. LANGEMACKS *Lehre von Teſtamenten aus philoſophiſchen Gründen hergeleitet.* Berl. 1745. 8vo.

§. 148.

§. 148.

Ex iis quae §. 145. *ſeqq.* dicta ſunt patet ius haereditarium de quo in hac parte iurisprudentiae naturalis loquor (§. 139), et quidem vulgare (§. 144.) vel *legitimum*, vel *voluntarium* eſſe. Prius abire in *perfectum* et *imperfectum*, poſterius in *teſtamentarium*, *pactitium* et *mixtum*.

§. 149.

De omnibus his iuris haereditarii vulgaris ſpeciebus generatim notandum, quod ius haereditarium vulgare in ſe ſpectatum, nimirum abſtrahendo a dominio rerum defuncti quod per illud acquiritur (§. 68.), *ſit ſimpliciſſimum ius, quod neque proprietatem, neque vſumfructum rerum ad haereditatem pertinentium in ſe continet, ſed totum conſiſtit in iure res iſtas poſt mortem eius, cui vi iuris haereditarii ſucceditur, apprehendendi, quae apprehenſio dat tam dominium, quam poſſeſſionem earum rerum in quas ſucceditur, eſtque ita acquiſitum dominium patrimoniale dominium.* Per definitionem iuris haereditarii vulgaris. (§. 376. *Introd.*).

§. 150.

Quod attinet ſigillatim ius haereditarium vulgare *legitimum* de eo notandum: 1) *illud non ſemper, quod attinet illam ſpeciem, quae perfectum ius haereditarium legitimum eſt, totam afficere haereditatem, ſed pro caſuum diuerſitate mox totam haereditatem, mox eius partem; imperfectum vero ſem-*

per,

per, niſi aliter diſpoſuerit defunctus (vid. §. ſeqq.), *quoad totam haereditatem deferri;* 2) *quibus competat ius haereditarium legitimum tam in genere, quam in ſpecie illud quod perfectum a nobis dictum eſt, ſecundum ius naturae quidem vlterius determinari poſſe, aſt quoniam haec doctrina vel nullum, vel exiguum vſum in iure poſitiuo explicando praeſtat, ei immorari nolo.* Prius patet ex iis quae de fundamento huius iuris haereditarii docuimus §. 245. 246. Poſterius itidem.

§. 151.

Quod porro ſigillatim attinet ius haereditarium vulgare, quod *voluntarium* appello in oppoſitione ad legitimum, de eo ſpeciatim notandum: 1) *ſi adſunt tales quibus ex lege competit ius haereditarium legitimum, quando illud imperfectum eſt, iniuſtum non eſſe ſi dominus per expreſſam voluntatis contrariae ſiue per vltimam voluntatem, ſiue per pactum ſucceſſorium, ſiue per donationem mortis cauſa, factam declarationem, aliis defert ius haereditarium, iniuſtum vero hoc eſſe quando eſt perfectum ius haereditarium*, ſicque dari ſecundum ius naturae bona, quae ex legum praeſcripto certis perſonis vi iuris perfecti reliquenda, et haec ſunt *legitima iuris naturalis, quae itaque iis quibus debetur neceſſario relinquenda, licet perinde ſit ſiue hoc, ſiue alio modo iis relinquatur;* 2) *hoc ius haereditarium vel particulare, vel vniuerſale eſſe, prout defunctus vel de parte futurae haereditatis, vel*

de

de tota haereditate futura diſpoſuit, *tumque in primo caſu quoad reliquam partem ius haereditarium legitimum locum habere*; 3) *quibus hoc ius haereditarium delatum ſit ex diſpoſitionis defuncti, ſicque vltimae voluntatis*, *pacti ſucceſſorii*, *ſeu donationis mortis cauſa tenore aeſtimandum eſſe*, *nec poſſe hoc ex legibus naturalibus definiri.* Ad 1) vid. §. 134. *Introd.* et §. 246. Ad 2) et 3) notio iuris haereditarii voluntarii §. 376. *Introd.* conferenda quae hic nihil determinat. Add. §. 272. *l. c.*

§. 152.

Quum, quatenus per defuncti voluntatem determinatur ſucceſſio, delatio vel quoad totam haereditatem, vel quoad eius partem ſiue quotam, ſiue quantam ſeu rem quandam ſingularem, fieri poſſit (§. *praec. n. 2.*) hic, quoad vltimas voluntates, ſpeciatim notandum, inde oriri duas ſpecies earum, prout vel quoad totam haereditatem, ſeu eius partem quotam ius haereditarium immediate defertur, vel non, et in priori caſu vltimam voluntatem dici *teſtamentum*, in poſteriori vero *codicillorum* nomine venire. Quoad teſtamenta vero notandum 1) praecipuum eorum caput eſſe diſpoſitionem quae concernit haeredem, et dicitur, ſi continet declarationem teſtatoris quem velit eſſe haeredem, *haeredis inſtitutio*, ſi declarationem teſtatoris, per quam eum, cui competit ius haereditarium legitimum perfectum a ſucceſſione

ſione excludit, ſeu, excluſionem a legitima, *ex-haeredationem, licet ea ſecundum ius naturae nunquam locum habeat* (§. *praec.*) cum e contra ſilentium de perſona quadam in hac diſpoſitione *praeteritio* appelletur. Heredis inſtitutio vero eſt vel *prima*, vel *ſubſtitutio*, prout nullo anteriore haerede inſtituto fit, vel fit anteriore haerede inſtituto in eius locum, ſique ſubſtitutio fit in caſum quo deficit primus inſtitutus, *directa*, ſi vero in caſum quo non deficit cum lege reſtitutionis fit, *fideicommiſſaria* dicitur; 2) praeter illud teſtamenti caput quod concernit heredem, dari aliud quod concernit legatarios, quod codicillis et teſtamentis commune eſt. Dicuntur vero *legatarii* quibus ex defuncti per vltimam voluntatem declarata voluntate aliquid praeſtandum, a tali quem defunctus honorauit, et *honoraſſe* defunctum dici poteſt omnem eum, qui per eum poſt mortem ſuam lucratur aliquid ſiue directo, ſiue per indirectum, vt ſic *honoratus ſit a defuncto* a) *haeres inſtitutus in ſuo teſtamento;* b) *haeres legitimus qui non niſi ius haereditarium legitimum imperfectum habet;* c) *quilibet legatarius, non vero ſucceſſor qui vi iuris haereditarii perfecti ſuccedit.*

§. 153.

Differunt inter ſe legatarius et ſucceſſor particularis (§. 371. *Introd.*) *multis modis, praeſertim in eo quod legatarius proprie loquendo non ſuccedat defuncto,*

to, licet per eum et occaſione mortis defuncti acquiat, nec ideo ius eius dici poſſit ius haereditarium, ed ius perſonale ſit, vi cuius ab honorato legato graato poſtulat vt legatum praeſtet. Vi definitionis egatarii (§. *praec.*) et iuris haereditarii (§. 376. *Introd.*), quodque nulla ſit ratio ex qua, cum ionoratus adſit cui legati praeſtatio iniuncta, us in re ei competere probari poſſit.

§. 154.

Sequitur ius haereditarium ex pacto et pro·iidentia maiorum (§. 144.) quod *nunquam le·itimum ſed ſemper voluntarium eſſe, et a primo acquiente vel per vltimam voluntatem, vel per pactum ucceſſorium, vel per donationem mortis cauſa deferri, n reliquis vero, quod ipſam iuris huius naturam et ndolem attinet, in omnibus cum iure haereditario ulgari conuenire,* ex ipſa definitione (§. 376. *ntr.*) facile patet.

§. 155.

Obligationes iuri haereditario noſtro in liis reſpondentes ſunt 1) *ſi nemo detinet haereditatem ad cuius acquiſitionem per apprehenſionem eius i iuris haereditarii ius habemus, quod perfectum eſſe er ſe patet* (§. 171. *Int.*), *ne nos impediant quo minus pprehendendo dominium eius acquiramus*; 2) *ſi vero uis detinet haereditatem talem, is aut commune ius aereditarium nobiſcum habet, aut non. Si prius*

ad

ad diuidendum nobiſcum haereditatem et portionem noſtram tradendum, ſi poſterius, ad tradendum eam eſt obligatus, praetereaque in vtroque caſu nonſolum ſubſtantiam haereditatis ipſam, prout eam tempore eo, quo detinere eam coepit, accepit, diuidere et tradere debet, ſed et de damno dolo vel culpa dato et emolumentis reſpondere debet, ſecundum ea quae de obligationibus dominio reſpondentibus (§. 87. *n.* 3. *et* 4.) *dicta ſunt.* Primum patet ex §. 249. Et licet, quod attinet poſterius, qui habet ius haereditarium nondum ſit dominus, nulla tamen allegari poteſt ratio cur non ita, prout domino res ſua reſtituenda, illi haereditas tradenda.

§. 156.

Iuris haereditarii acquiſitio de qua, vt et eius amiſſione, perſecutione et conſeruatione et quidem primo quoad *vulgare*, dein quoad illud *quod ex pacto et quouidentia maiorum* eſt nunc agendum, fit aliter per *conſtitutiuam acquiſitionem* quae fit dum exiſtere incipit, aliter per *translatiuam acquiſitionem*, per quam ius haereditarium iam exiſtens, ſeu quod aliquando exiſtiturum ſperatur, acquiritur ab eo qui habet vel ſperat illud.

§. 157.

Conſtitutiua iuris haereditarii vulgaris 1) *legitimi acquiſitio fit per delationem a lege mortuo eo, de cuius haereditate quaeritur, factam, eiusque ſubſecutam*

am acceptationem, 2) *voluntarii vero*, a) *quoad us baereditarium teſtamentarium, per delationem a eſtatore in vltima voluntate factam poſt mortem eius icceptatam*, b) *quoad ius baereditarium pactitium t mixtum, per delationis tempore pacti initi et factae lonationis quidem promiſſae, per mortem vero nunc denum impletae, acceptationem nunc poſt mortem per-gendam, cum prior acceptatio quae tempore pacti niti et factae donationis iam acceſſit non ſufficiat ad uris baereditarii, quod ius in re eſt, acquiſitionem ed tantum ius perſonale operetur* (§ 268. et 366. 367. nec non 393. *Introd.*). Vnde patet *ſecun-lum ius naturae non dari* 1) *ſucceſſores qui nolentes vo-lentes ſucceſſores ſunt et* 2) *tales qui immediate ex lege us baereditarium acquirunt.*

§. 158.

Acceptatio delati iuris haereditarii vulgaris nondum conſtituti, ſi fit per voluntatis expreſſae declarationem, dicitur *aditio baereditatis*, ſi per declarationem tacitae voluntatis, *pro baerede geſtio* appellatur. *Fit* itaque vi § *praec. omnis acquiſitio iuris baereditarii vulgaris per aditionem ſeu pro baerede geſtionem, et antequam illa facta omne ius baereditarium vulgare eſt ius futurum* (§. 127. *Introd.*). *In ſpecie vero legitimum et teſtamentarium ante eius, de cuius baereditate quaeritur, mortem, ſunt ius futurum non radicatum, poſt mortem vero radicatum ; pactitium iam ante mortem eius de cuius baereditate quaeritur eſt ius futurum radicatum*

euentuale, quod per mortem commutatur in delatum; tandem mixtum eſt ante mortem eius cui ſucceditur ius futurum non radicatum, quod tranſit per mortem eius in radicatum (§. 130. et 295 *Introd.*).

§ 159.

Quoad conſtitutiuam acquiſitionem iuris haereditarii voluntarii ſpeciatim notandum *ſua voluntate illud deferre, ſicque ſucceſſionem ſuam determinare, poſſe quemlibet qui* 1) *ſanae rationis vſum habet:* 2) *animi ſui ſenſa declarare poteſt;* 3) *bonis inſtructus eſt quae liberae ſuae diſpoſitioni ſubſunt, ita vt poſitis his requiſitis ab arbitrio eius dependeat* a) *cui et quo modo, ſcilicet diem, conditionem etc. adiiciendo vel non, velit deferre ius haereditarium;* b) *an per vltimam voluntatem, pactum, ſeu donationem mortis cauſa illud deferre velit;* c) *an ſucceſſionem quoad omnia bona, an vero quoad nonnulla tantum determinare velit, ſique de bonorum vniuerſitate diſponit, ſicque haeredem inſtituit, nonſolum praeterire poteſt quem vult, ſed et vel vnum haeredem, vel plures, quot vult et quales vult, haeredes inſtituere, ſubſtituere quoque iis quocunque modo, et haeredem tam, quam quemcunque alium honoratum, legatis cuiuscunque generis ſiue concernant res, ſiue nudas actiones, et in priori caſu res vel ſibi, vel honorato, vel legatario proprias legando, grauare poteſt.* Omnes hae veritates fluunt ex iuris haereditarii notione

ne (§. 376. *Introd.*) et defectu legum naturalium diſponentis arbitrium reſtringentium.

§. 160.

Et hoc quoad conſtitutiuam acquiſitionem iuris haereditarii adhuc notandum *ad eam requiri diſpoſitionem defuncti ab initio validam fuiſſe nec ex poſt inualidam factam eſſe.* Id quod per ſe patet. Speciatim vero diſpoſitio defuncti quae eſt 1) vltima voluntas *infirmatur*, id eſt, vel ab initio inualida eſt, vel ex poſt inualida fit, ſi 1) *mens teſtatoris intelligi nequit;* 2) *forma ſecundum ius naturae in teſtando obſeruanda, neglecta;* 3) *teſtator teſtari non potuit, ſecundum ea quae §. praec. dicta;* 4) *ſine laeſione iuris quaeſiti aliorum aut in totum, aut in tantum ſubſiſtere nequit, quorſum pertinet ſi talis adeſt tempore mortis cui alimenta debet defunctus, qui vltima voluntate ſubſiſtente ea non acciperet, ſiue is tempore teſtamenti conditi iam adfuerit, ſiue non;* 5) *reuocatio vltimae voluntatis a teſtatore vel expreſſe, vel tacite facta* (§. 268. *Intr.*); 6) *conditio impoſſibilis adiecta aut poſſibilis ſuſpenſiua non exiſtit* (§. 297. 298. *Intr.*). Quod vero 2) attinet pacta ſucceſſoria et donationes mortis cauſa et hae diſpoſitiones ſaepe corruunt, de quo infra in iure ad rem agendum.

§. 161.

Tandem in doctrina de acquiſitione iuris haereditarii conſtitutiua definiendum etiam quid iuſtum ſit, ſi is cui ius haereditarium te-

ſtamentarium delatum, illud acceptare vel non poteſt, quoniam iam ante delationem mortuus eſt, vel non vult. Vbi diſtinguendum eſt an adſit *ſubſtitutus*, vel *non*. *Si prius ſubſtituto defertur et tum quoad acquiſitionem ea quae* §. 157. 158. *dicta ſunt locum habere per ſe patet.* Si poſterius aut *adeſt coniunctus*, hoc eſt, talis cui cum altero ius haereditarium in vnam eandemque haereditatem ſeu eius partem delatum, aut *non*. *In primo caſu ius haereditarium defertur coniuncto in portionem vacantem, qui id per acceptationem acquirit, vnde ius accreſcendi in ſucceſſionibus. In ſecundo caſu, ſi non vult acceptare vocatus, alium ſibi ita ſubſtituere non poteſt vt ei fiat delatio, ſed potius tum delatione a defuncto facta exitum non habente, iis defertur ius haereditarium qui a lege ſunt vocati, ſi vero non poteſt acceptare, quoniam iam ante delationem ſibi factam mortuus, proprie ne quidem dici poteſt delationem ei fieri, vnde et hic ius haereditarium iis, qui a lege ſunt vocati, deferri, dubio caret.* Subſtitutum venire patet ex definitione (§. 152.); coniunctum venire, ex voluntate praeſumta teſtatoris deducendum; ſubſtitutum coniunctum excludere, inde eſt, quoniam quoad ſubſtitutum adeſt voluntas expreſſa, ſicque ceſſat praeſumta pro coniuncto militans; vtrumque excludere a lege vocatum inde fluit, quoniam ex teſtatoris voluntate ſuccedunt, hunc vero et ſubſtituto et coniuncto deficiente admitti,

mitti, inde eſt, quoniam ex teſtamento ſuccedere nequit a teſtatore non vocatus, et tali deficiente legum diſpoſitio obtinet.

§. 162.

Sequitur, abſoluta ea acquiſitione iuris haereditarii vulgaris quam conſtitutiuam appellamus, translatiua (§. 156.). Vbi diſtinguendum an ius haereditarium ab eo qui transfert iam ſit *plene acquiſitum* ſeu *praeſens*, id eſt, delatum et acceptatum ſit, haereditate ipſa tamen nondum apprehenſa, an ius *futurum*. *Si prius acquiritur* 1) *per ſucceſſionem*; 2) *citra ſucceſſionem* per a) *occupationem bellicam*; b) *praeſcriptionem translatiuam*, mediante exercitio iuris haereditarii alterius; c) *actum qui de praeſenti abſoluitur*, dum declarat is cuius eſt ſe velle illud noſtrum eſſe, ſubſequuta noſtra acceptatione. Si poſterius aut *nondum delatum*, aut *iam delatum* eſt. *Si nondum delatum eſt, non quidem ius haereditarium praeſens acquiri poteſt, aſt tamen ſpes delatum iri nobis, loco alterius, ſeu ius haereditarium futurum, acquiri poteſt; et quidem vel per ſucceſſionem, ſi moritur ſpem habens eaque talis eſt quae in ſucceſſores transmittitur, vel per pactum per quod declarat ſe velle nobis deferri loco ſui ius haereditarium, caſu quo defertur exiſtente.* Quodſi itaque caſus delationis iuris haereditarii, per mortem eius de cuius haereditate quaeritur, exiſtit, aut *ſpes impletur*, id eſt, viuit tum qui ſpem habebat, ei-

que delatio fit, *quo caſu is in quem translata mediante acceptatione acquirit per translatiuam acquiſitionem ius haereditarium*, aut *ſpes non impletur*, ſiue ideo quoniam, licet delatio fieret ſi viueret, *non amplius viuit*, ſiue ideo quoniam, licet viuat, ei *delatio non fit. In primo caſu vel ſucceſſoribus ſuis, vel iis in quos per actum inter viuos translata eſt ſpes delatio fit, qui tum acceptando ius haereditarium acquirunt, ſi ſpes, ſeu ius futurum eius, qui ante delationem mortuus eſt, ex pacto ſucceſſorio ortum habet, ſi non, vt et in ſecundo caſu, omnia euaneſcunt.* Si vero ius haereditarium nondum acquiſitum quidem, aſt tamen *iam delatum* eſt, *acquiſitio eius translatiua concipi nequit, niſi ante delationem ſpes translata in alium, quo caſu antea dicta obtinere per ſe patet.* Quoad ius haereditarium iam plene acquiſitum vid. §. 364. *ſqq. Intr.* Quae de nondum acquiſito et ne quidem delato dicta ſunt, inde patent; quoniam etiam ius futurum in alterum tranſire poteſt, et, ſi ſpes impletur, perinde eſt an is cui defertur ius haereditarium ipſe eodem vtatur, an alius, ſi vero non impletur, ad pactitium ius haereditarium futurum acquiſitionem in caſu quo delatio fieret ſi viueret reſtringi, inde eſt, quoniam ſolum hoc ius haereditarium eſt ius futurum radicatum (§. 158) ſicque hic ius praeſens adeſt (§. 130. *Introd.*), quod in ſucceſſores transmitti et inter viuos in alios transferri poteſt, modo ſpes in genere quoad delatio-

lationem impleatur. Aſt iuris haereditarii iam delati acquiſitionem translatiuam concipi non poſſe, inde patet quoniam aut repudiare, aut acceptare illum, cui defertur neceſſe eſt. Si prius ab eo alterum acquirere non poſſe per ſe patet. Si poſterius, omnino alii ab eo acquirere poſſunt ius haereditarium acquiſitum, tum vero delatum tantum ius haereditarium non acquiritur.

RVTG. IO. KELLINGHAVSEN Diſſ. *de acquiſitione haereditatis ſecundum principia iuris naturae et ciuilis*. Franeq. 1750.

IO. GEORG. DARIES Diſſ. *de acquiſitione haereditatis eiusque effectibus ſecundum ius naturae*. Ien. 1746.

§. 163.

Quoad amiſſionem iuris haereditarii itidem diſtinguendum an ſit *futurum*, an vero *praeſens*. *Prius amittitur praeter renunciationem variis aliis modis, qui ex iis quae de acquiſitione in caſu quo adhuc futurum ius eſt ius haereditarium facile colligi poſſunt. Iuris haereditarii praeſentis amiſſio vero fit per* 1) *mortem* (§. 427. *Introd.*); 2) *interitum totius vel partis haereditatis* (§. 429. *l. c.*); 3) *exiſtentiam conditionis reſolutiuae* (§. 432. *l. c.*); 4) *acquiſitionem haereditatis translatiuam ab altero factam* (§. 435. *l. c.*); 5) *praeſcriptionem extinctiuam*, ſi acquiſito haereditario iure, aſt ipſa haereditate nondum apprehenſa, alter haereditatem, vel totam, vel partem, vt ſuam poſſi-

det (§. 437. *l. c.*); 6) *expletionem obligationis huic iuri reſpondentis*, quae fit per a) *diuiſionem haereditatis totius vel partis eius communis*, b) *reſtitutionem haereditatis* (§. 451. *l. c.*); 7) *renunciationem* (§. 464. *l. c.*).

§. 165.

Quoad *perſecutionem* iuris haereditarii hic monendum *fieri eam*, prout per ſe patet, *in ſtatu naturali per bellum vindicatiuum*, *quod*, *cum eo tendat vt obligatus expleat obligationem*, *ſecundum ea quae de obligationibus iuri haereditario reſpondentibus* §. 155. *docuimus*, *locum habet tum ſi vel alter detinet haereditatem vt tradat*, *vel diuidat et tradat*, *prout vel nullum ius haereditarium ei competit*, *vel illud ius commune eſt*, *et reliquis obligationibus de quibus ſupra* §. *cit. ſatisfaciat.*

§. 165.

Quoad *conſeruationem* iuris haereditarii repetendenda hic ſunt, quae de conſeruatione dominii rerum corporalium ſupra §. 86. docuimus.

§. 166.

Quae de amiſſione, *perſecutione et conſeruatione iuris haereditarii vulgaris dicta ſunt* (§. 163. *ſeqq.*), *valent etiam de amiſſione*, *perſecutione et conſeruatione iuris haereditarii ex pacto et prouidentia*, *aſt ratione acquiſitionis huius iuris haereditarii notandum* 1) *delationem eius fieri a primo acquirente cui hic ſemper ſuc-*

*ucceditur, non per legem vel vltimum defunctum, omni-
ius poſteris ad ſucceſſionem vocatis, qui dum eos tangit
ucceſſionis ordo per ſolam acceptationem illud acqui-
unt; 2) ordinem ſuccedendi, vt et qui ex poſteris
id ſucceſſionem admittendi, vel non, aut per primum
icquirentem determinatum eſſe, aut non. In priori
aſu eius voluntati ſtandum, et in poſteriori ad prae-
umtam voluntatem recurrendum eſſe, vt adeo vi huius
uris haereditarii mox haec, mox illa ſpecies ſucceſ-
ionis, quae ex diuerſitate eius cui ſucceſſio competit
(§. 372. Introd.) oritur, locum habeat; 3) non niſi
icquiſitionem conſtitutiuam quoad hoc ius haeredita-
rium locum habere, eamque fieri, dum primus, vt
dicitur, acquirens per vltimam voluntatem, pactum
ſeu donationem mortis cauſa declarat ſe velle bona
ſua vel omnia, vel nonnulla, illorum quibus imme-
diate relinquit eſſe cum lege reſtituendi aliis, et per
hanc declarationem defert ius haereditarium omnibus
iis quibus reſtitui vult haereditatem ſiue viuant
iam, ſiue nondum viuant, ſecundum ordinem vel di-
ctum, vel praeſumendum, ita, vt vi huius delationis ii
ex ſucceſſoribus denominatis qui viuunt et acceptarunt
actu, iam habeant ius haereditarium, reliqui vero qui
nondum viuunt aut nondum acceptarunt delatum ius
haereditarium, nondum quidem actu acquiſiuerint hoc
ius haereditarium, ſicque nondum ſit eorum ius quae-
ſitum, aſt tamen, modo nati iam ſint, ius futurum
radicatum et in ſpecie delatum ius, quod iis ab aliis
intercipi nequit, quodque quaeſitum ſit, dum acceptant*

E 5 *factam*

factam a primo acquirente delationem. Ad 1) vid. §. 376. *Introd.* Ad 2) prius per ſe patet, poſterius inde fluit, quod voluntas praeſumta etiam voluntas ſit (§. 52. *Introd.*). Ad 3) comparatio definitionum huius iuris haereditarii (§. 376. *Introd.*) iuris praeſentis, et futuri (§. 127. *l. c.*) inſtituenda, et §. 367. *l.c.* in ſubſidium vocandus.

Dicatur de haeredis et cuiuslibet ſucceſſoris iuribus et obligationibus, vt et legatarii iuribus et obligationibus, de quibus infra in iure perſonarum agendum.

(II) DE IVRE AD REM.

§. 167.

Abſoluto iure in re, ſequitur pars altera iuris rerum *ius ad rem* dicta, quae iura obiectiue perſonalia cum iis reſpondentibus obligationibus complectitur (§. 40.). Quae huc pertinent doctrinae commode in duas redigi poſſunt claſſes, quarum prima iura obiectiue perſonalia *immediata*, ſecunda *mediata* ſub ſe comprehendit.

(1) DE IVRIBVS PERSONALIBVS IMMEDIATIS.

§. 168.

Iura perſonalia tum dicuntur *immediata* ſi ex ſola lege, et non ſimul ex interueniente actu obli-

bligatorio, oriuntur. Quum vero, ſi actus bligatorius quidem adeſt, aſt non niſi tanquam conditio ſine qua non, ex illo non oriatur ius, patet: *ius eſſe immediatum licet tanquam conditio ſine qua non actus quidem obligatorius praeſupponendus.*

§. 169.

Iura perſonalia immediata iisque reſpondentes obligationes immediatae hominum extra rempublicam viuentium, quaeque ad hanc iurisprudentiae naturalis ſtricte ſic dictae partem, quam nunc tractamus, pertinent, ſunt varii generis, hincque de omnibus ſigillatim agi nimis prolixum foret. Sufficiat itaque hic ex generaliſſimis principiis alia occaſione iam euolutis (§. 383. *Introd.*), praecipuas ſpecies, quae huc pertinent, recenſeri.

§. 170.

Sit itaque prima ſpecies I) *obligatio ad exhibendum*, ex qua oritur ius expletionem eius poſtulandi, quod perſonale et immediatum eſt. Eſt vero *obligatio ad exhibendum* ea, vi cuius alteri rem quandam praeſentem ſiſtere debemus.

§. 171.

Vt adſit obligatio ad exhibendum, et per conſequens ius exhibitionem ab altero poſtulandi, nihil aliud requiritur quam 1) alterum exhibendi facultatem habere; 2) noſtra intereſſe exhibitionem fieri. Eſt

vero

vero haec obligatio imperfecta. Vid. §. 117. n. 1. et §. 383. n 2. *Introd.*

§. 172.

Porro huc pertinet II) *obligatio id quod ſine cauſa apud nos eſt dimittendi.* Eſt vero apud nos *ſine cauſa* quod ita apud nos eſt, vt leges quoad effectum habendi non aſſiſtant. Hinc fluit *ſine cauſa apud nos eſſe tam illud quod ab initio ſine cauſa accepimus, quam illud quod ſic habemus vt licet ab initio cauſa adfuerit nunc tamen ea ceſſet, praetereaque nonſolum res corporales quas ita habemus vt leges quoad effectum habendi non adſiſtant, ſed et iura huc referri poſſe.*

§. 173.

Quod ſine cauſa apud nos eſt vel ſpeciale nomen habet, vel non. Ad priorem claſſem pertinet quod 1) *ob cauſam datum, cauſa non ſecuta*, quo nomine venit quod datum alteri ob certum finem reſpectu dantis et accipientis licitum non ſecutum; 2) *ob turpem vel iniuſtam cauſam datum*, ſi aliquid alteri datum ob certum finem reſpectu accipientis, non vero dantis, illicitum; 4) *indebite ſolutum* quod habet alter ex facta expletione obligationis, quam adeſſe alter credidit, cum nulla adſit.

§. 174.

Ad ſine cauſa accepta referri nequit quod datum ne factum illicitum committatur, aſt quod datur ob

cer-

ertum finem tam reſpectu dantis quam accipientis, ſeu reſpectu dantis tantum, non accipientis, illicitum, ad ine cauſa accepta referri debet, licet dici nequeat quod ob turpem vel iniuſtam cauſam datum ſit. Quoad prius enim probari nequit leges ad effectum habendi non aſſiſtere, cum factum illicitum omittere legibus non ſit contrarium. Quoad poſterius vero ſufficit ſubeſſe illicitum, per quod nemo nullo modo ſe obligare et ex eo lucrari poteſt.

§. 175.

Qui aliquid habet ſine cauſa, quod ſine cauſa habet dimittere debet, ſi is a quo habet hoc poſtulat, indeque rem quam ſine cauſa habet reſtituere, obligationem alteri remittere ſi ſine cauſa contracta. Habere enim nequeo ad quod habendum legis adſiſtentia deeſt.

§. 176.

Sequitur III) *obligatio ex tertii actu obligatorio, quatenus vel verſio eius quod debet tertius in rem noſtram facta, vel tertius nos repraeſentat in actu illo obligatorio, ex qua obligatione oritur ius immediatum eius cui tertius ſe obligauit a nobis expletionem poſtulandi, licet et ius mediatum habeat ab ipſo qui ſe obligauit expletionem exigendi ſi velit.* Quod adſit hic obligatio immediata patet quoad prius ex §. 383. *Introd.* quoad poſterius ex ipſa repraeſentationis notione.

§. 177.

Progredior IV) *ad obligationem, ſi damnum pluribus imminebat, vnus alterue vero ſolus actu ita paſſus eſt, vt eo damnum a reliquis auerſum ſit, ei qui paſſus eſt tantum reſtituendi, vt omnium quibus damnum imminebat damnum fiat aequale.* Sunt enim nunc ii, a quibus damnum imminens eſt auerſum, cum damno eius, qui illud actu paſſus eſt, locupletiores. Ergo §. 383. *Introd.*

§. 178.

Et huius loci eſt V) *obligatio rationes reddendi, quae toties immediate ex lege adeſt, quoties quis aliquid quod vel in totum, vel pro parte alienum eſt ſuſcepit, veluti aliena negotia geſſit, alienas res adminiſtrauit*, et in genere in eo conſiſtit, vt quomodo circa id quod alienum eſt verſati ſimus exponamus, cum in ſpecie, ſi res alienas adminiſtrauimus, rationum redditio in eo conſiſtat, vt deſignatione earum rerum, quas adminiſtrauimus, pro fundamento poſita, acceptorum et expenſorum conſignatio et calculatio fiat. Haec obligatio inde, quod nemo cum alterius damno locupletior fieri debeat, nec damnum alteri iniuria dare (§. 182. 184. *Introd.*) facile deduci poteſt, quum ſine rationum redditione de eo conſtare nequeat (§. 383. *Introd.*).

§. 179.

Agendum hic porro de iuribus et obligatio-

ionibus immediatis quae VI) *vſurarum ſolutio-em*; VII) *eius quod intereſt praeſtationem* et VIII) *ndemnitatis praeſtationem* concernunt. Quid ſit 'ſurarum ſolutio et praeſtatio eius quod in-ereſt ex §. 106 et 181. *Introd.* iam conſtat. *ndemnitatis praeſtatio* vero tum fit, ſi efficitur al-erum ex eo quod aliena curauerit nullum ſen-ire damnum, hincque ad indemnitatis prae-tationem pertinet 1) *reſtitutio impenſarum quas lter in rem noſtram fecit, cum non fuit obligatus vt as faciat ex ſuo patrimonio;* 2) *liberatio ab obliga-ionibus noſtri cauſa contractis.*

§. 180.

Vſurarum et eius quod intereſt praeſtatio in eo lifferunt, quod per vſuras fiat compenſatio lucri quod x vſu rei noſtrae alter percepit, per eius quod inter-ſt praeſtationem vero, quatenus eſt intereſſe damni mergentis, damni emergentis, ſicque talis ex quo al-er non in lucro haeret, reſtitutio, quatenus eſt inter-ſſe lucri ceſſantis, quidem lucri praeſtatio fiat, aſt non alis quod alter ex vſu rei noſtrae percepit, ſed talis quod ceſſat. Per comparationem definitionum §. 106. et 181. *Introd.* obuiarum.

§. 181.

Praeſtatio indemnitatis et vſurarum ſolutio in eo lifferunt, quod per indemnitatis praeſtationem prae-caueatur ne is qui aliena curauit damnum incurrat, per vſurarum ſolutionem vero efficiatur ne is qui aliena

re

re vſus eſt locupletior fiat cum damno alterius; *licet ſub indemnitatis praeſtatione etiam vſurarum tertio ſolutarum reſtitutio comprehenſa ſit, aſt tum vſurae non ſoluuntur vt vſurae.* Itidem per comparationem definitionem §. 106. *Introd.* et §. 181.

§. 182.

Praeſtatio eius quod intereſt et indemnitatis differunt, quoad intereſſe lucri ceſſantis in eo, quod indemnitas circa lucrum plane non verſetur, quoad intereſſe damni emergentis in eo, quod per huius intereſſe praeſtationem damnum quod actu iam adeſt reſtituatur, per indemnitatis praeſtationem vero tantum praecaueatur ne alter damnum incurrat, praetereaque indemnitatis praeſtatio praeſupponat alterum verſatum eſſe in re aliena. Et hoc ex comparatione definitionum §. 181. *Introd.* et §. 181. deducendum.

§. 183.

Immediatum ius et immediata obligatio ad vſurarum ſolutionem toties adeſt, quoties alter ex rei noſtrae gratis non conceſſo vſu, vel ex rei ſuae nobis debitae debito tempore non facta ſolutione, in lucro haeret. Tum enim alterum cum damno noſtro locupletiorem eſſe manifeſtum eſt. Ergo §. 383. *Introd.* Vnde fluit *nec* 1) *harum vſurarum quantitatem in genere determinari poſſe, nec* 2) *ſolam moram efficere hanc obligationem adeſſe.*

§. 184.

Ius immediatum et immediata obligatio ad praeſtatio-

ationem eius quod intereſt, adſunt toties, quoties n ſolutione late ſic dicta vel a parte eius qui ſoluere lebet, vel a parte eius qui accipere debet, quae §. 154. *Introd. dicta ſunt ſtricte non obſeruantur, inde-que vel quoad eum qui accipere, vel quoad eum qui ſoluere debuiſſet, ortum eſt aut lucrum ceſſans, aut lamnum emergens.* Tum enim adeſt damnum niuria datum. Ergo §. 182. *Introd.* Licet vero videatur hanc obligationem potius media-am ex laeſione venientem eſſe (§. 175. *Introd.*) lefendi tamen poteſt quod omnino immedi-ata ſit.

§. 185.

Ius immediatum immediataque obligatio ad indem-nitatis praeſtationem adſunt toties, quoties quis, qui abſque animo donandi aliena curauit, damnum actu ſentiret niſi fieret indemnitatis praeſtatio. Siue enim vtilitas alterius actu promota ſit, ſiue non, is cum damno alterius locupletior fieret niſi in-demnitatem praeſtaret, licet in primo caſu fieret talis per nouam acceſſionem, in poſteriori per non factum decrementum. Ergo §. 383. *Introd.*

§. 186.

Haec ſufficiant de iuribus et obligationi-bus perſonalibus immediatis ipſis. Nunc de *acquiſitione, amiſſione, perſecutione* et *conſeruatione* huius generis iurium et obligationum agendum.

§. 187.

Acquiſitio ſigillatim conſideranda ex parte eius qui *ius acquirit*, et ex parte eius *qui obligatus ſit.* Ex parte eius qui ius acquirit vero acquiritur per *ſucceſſionem*, ſi defunctus tale ius habuit, et *citra ſucceſſionem* potiſſimum quidem *immediate* (§. 380. *ſeqq. Intr.*) aſt et mediate acquiri poteſt, per *actum qui de praeſenti abſoluitur*, qualis eſt ceſſio reſpectu ceſſionarii (§. 443. *Introd.*). Ex parte eius qui obligatus ſit, itidem per *ſucceſſionem* non ſolum, ſi defunctum tenuit immediata obligatio, haec acquiſitio fit, ſed et *praeter ſucceſſionem* potiſſimum quidem *immediate*, aſt et mediate per *actum qui de praeſenti abſoluitur*, veluti delegationem reſpectu debitoris delegati (§. 443. *Introd.*).

§. 188.

Amiſſio iurium et obligationum immediatarum itidem tam reſpectu eius qui *ius tale habet*, quam reſpectu eius qui *ita obligatus eſt*, conſideranda. Ex parte eius qui ius tale habet fit, tam per *immediatam* amiſſionem, (§. 425. *Introd.*) quam per *mediatam*, quoad 1) eam *quae per conſequentiam* fit, per a) *mortem* (§. 427. *l. c.*) b) *acquiſitionem ab altero factam* (§. 435. *l. c.*) c) *praeſcriptionem exſtinctiuam* (§. 437. *l. c.*) 2) eam quae *per ſe* fit, per a) *ceſſionem*, reſpectu cedentis (§. 443. *l. c.*) b) *renunciationem* (§. 464. *l. c.*). Ex parte immedia-

te obli-

e obligati vero potiſſimum per *expletionem* (§. 51. *ſeqq. l. c.*), praetereaque per *delegationem*, eſpectu delegantis (§. 443. *l. c.*).

§. 189.

Perſecutio iurium et obligationum immediatarum fit per *bellum vindicatiuum*, quum id uod in ſpecie petitorium dicitur, hic locum on habeat, et *quae de bello tanquam medio perſeuendi iura et obligationes in genere dicta ſunt* §. 187. *ſeqq. Introd. locum habent, ſi huius generis iura t obligationes perſequimur.*

§. 190.

Conſeruatio iurium et obligationum immediatarum fit per *media non violenta*, quae tam n ſtatu naturali quam ciuili locum habent (§. 560-572. *Introd.*), et licet *media violenta* (§. 524. *ſeqq. Introd.*) locum non habere dici nequeat, raro tamen applicari poſſunt.

(2)

DE IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS PERSONALIBVS MEDIATIS.

§. 191.

Abſolutis iuribus et obligationibus immediatis, de mediatis agendum (§. 167). Huius generis iura et obligationes ex lege et interueniente actu obligatorio oriuntur. Licet vero dentur varii actus obligatorii, praecipui

tamen, qui hic notari merentur, ſunt *promiſſiones* et *laeſiones*, indeque de iis et oriundis ex iis iuribus et obligationibus perſonalibus mediatis hic agendum.

(A)

DE IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS PERSONALIBVS MEDIATIS EX PROMISSIONIBVS.

§. 192.

Promiſſiones ſunt duplicis generis, vel *mortis cauſa*, vel *inter viuos* factae (§. 268. *Introd.*), quarum praecipua ſpecies ſunt pacta. Vt vero haec ampliſſima de promiſſionibus, ſpeciatim pactis, doctrina diſtincte proponatur et in ordinem redigatur, ſigillatim 1) *generalia de promiſſionibus, in ſpecie pactis, principia ſunt praemittenda;* 2) *iura ipſa ipſaeque obligationes perſonales quae ex promiſſionibus oriuntur pro promiſſionum diuerſitate euoluendae;* 3) *acquiſitio, amiſſio, perſecutio et conſeruatio iurium et obligationum huius generis docenda.*

(a)

GENERALIA DE PROMISSIONIBVS ET PACTIS PRINCIPIA.

§. 193.

Generalia de promiſſionibus, ſpeciatim pactis, principia commode reduci poſſunt ad has, quae ſequuntur, doctrinas de: 1) *pactorum defini-*

finitione et variis eorum diuiſionibus; 2) *ſubiecto et obiecto pactorum;* 3) *plurium pactorum communibus.*

TIT. I.

DE PACTORVM DEFINITIONE ET VARIIS EORVM DIVISIONIBVS.

§. 194.

Quid ſit promiſſio, nec non quid ſit pactum docuimus §. 265. *ſeqq. Introd.* et ab affinibus quibusdam ſatis diſtinximus, vt itaque ſtatim ad diuiſiones pactorum progredi liceat, quae variae ſunt.

§. 195.

Diuiduntur pacta I) in *vera* et *praeſumta* ſeu *quaſi pacta*, prout vel ab vtraque parte conſenſus verus adeſt, vel ab vna parte conſenſus verus, ab altera vero conſenſus praeſumtus. Verum pactum iterum duplex eſt vel *expreſſum*, vel *tacitum*, pro hac conſenſus veri diuerſitate (§. 44. *Introd.*).

§. 196.

Quum conſenſus praeſumtus ſit etiam conſenſus (§. 44. *Introd.*), nec ex notione pacti demonſtrari poſſit conſenſum ad pactum requiſitum praeciſe ab vtraque parte verum eſſe debere (§. 268. *l. c.*), porro promiſſionem ſeu acceptationem praeſumtionem omnem reſpuere ex praeſumti conſenſus natura itidem non fluat (§. 46. *l. c.*) *pactorum diuiſio in vera et quaſi pacta*

legibus naturalibus non repugnat. Alia vero quaeſtio eſt, anne haec diuiſio ſit otioſa, de qua infra.

§. 197.

Diuiduntur pacta II) in *obligatoria*, *liberatoria* et *mixta*. Licet enim omne pactum obliget promiſſorem ad praeſtandum quod promiſit, id quod promiſit tamen in eo differt, quod vel efficiat nouam obligationem induci, vel anteriorem tolli, vel vtrumque ſimul fieri.

§. 198.

Sunt pacta III) vel *principalia*, vel *minus principalia*, prout ſe referunt ad aliud pactum, vel non. Minus principalia pacta abeunt in pacta *praeparantia* quae futuro pacto conciliando inſeruiunt, et *adiecta* quae praeſens pactum magis determinant: *illa* itaque *ad pactum principale ita ſe referunt vt per ea exiſtentia facilitetur*, *haec ita vt per ea futurae lites praecaueantur.*

§. 199.

Progredior IV) ad diuiſionem pactorum in *ſimplicia*, et *compoſita*, quorum haec ſunt vnum pactum quod varia in ſe diuerſa pacta continet, illa non.

§. 200.

Dantur V) pacta *vnilateralia* et *bilateralia*. Ex his vterque contrahentium, ex illis non niſi vnus contrahentium obligatur. Poſteriora

ſub.

ſubdiuidi poſſunt in *aequalia*, et *inaequalia*, prout vel vterque contrahentium ſtatim ab initio obligatus eſt, vel vnus tantum ab initio obligatus eſt, ex poſt vero et alter obligatus ſit. Aſt, ſi dicendum quod res eſt, licet fieri poſſit, dum vnus contrahentium ab initio tantum obligatus fuit, alterum ex poſtfacto etiam obligatum fieri, haec obligatio tamen ex pacto, poſtquam pactum iam initum eſt, et vnus ſe per illud tantum obligauit, non oritur, vnde potius dicendum hanc obligationem immediate ex legibus oriri. Pacta bilateralia aequalia ſunt vel *dirimtoria*, vel *communicatoria*, prout vel ſeparata vtriusque paciſcentium, vel communis eorum vtilitas, intenditur.

§. 201.

Magnam cum hac modo explicata diuiſione ſimilitudinem habet VI) diuiſio pactorum in *benefica* et *oneroſa*. Dicuntur vero pacta tum benefica, ſi ab vna parte tantum promisſio fit, oneroſa vero, ſi ab vtraque parte promiſſio fit, ſicque *oneroſa per promiſſionem et repromiſſionem ineuntur*.

§. 202.

Licet omnia pacta vnilateralia ſint benefica, omnia pacta bilateralia tamen non ſunt oneroſa, ſed aequalia tantum ſunt oneroſa, inaequalia vero ſunt benefica, hincque *haec diuiſio cum priori non coincidit.* Id

quod ex comparatione definitionum deducendum.

§. 203.

Pacta etiam VII) in *pacta re inita* ſiue *realia*, et *ſine re inita* ſeu *conſenſualia*, diuidi poſſunt. Sunt enim inter ea talia quae ſine actuali quadam praeſtatione concipi nequeunt, quum alia ſine actuali quadam praeſtatione concipi poſſint.

§. 204.

Vltima pactorum diuiſio eſt cum VIII) in *realia* et *perſonalia* diuiduntur. *Realia* ſunt ſi obligatio et ius ex iis tranſeunt in haeredes, *perſonalia*, ſi non. *In dubio* tamen *omnia pacta praeſumuntur realia.*

TIT. II.

DE SVBIECTO ET OBIECTO PACTORVM.

§. 205.

Subiectum pactorum ſunt ii qui acceptant et promittunt, ſeu paciſcentes. *Requiritur vero ad habilitatem paciſcentium, ſi diſceſſeris a quaſi pactis,* 1) *quoad eos qui promittendo ſe obligant,* a) *ſanae rationis vſum tam in genere, quam in ſpecie tempore pacti initi habere;* b) *animi ſui ſenſa vel per verba, vel alia ſigna declarare poſſe;* c) *ſibi relictos eſſe in eo, vt aliis ſe obligare poſſint;* 2) *quoad eos vero qui acceptando acquirunt, primum et ſecundum requi-*

requiſitum itidem quidem adeſſe debet, non vero tertium. Exinde quod pactis veris inſit voluntatis declaratio tam a parte promittentis, quam acceptantis, fluit primum et ſecundum requiſitum ab vtraque parte paciſcentium adeſſe debere. Cur vero tertium ad promittentem reſtrictum ſit, inde patet, quoniam acceptans ſe non obligat.

§. 206.

Si inhabilis ad promittendum, promittit habili acceptanti, pactum non valet. Si vero habilis promittit, et inhabilis ad promittendum, aſt ad acceptandum habilis, acceptat, pactum ſubſiſtit. Prout prius per ſe patet, ita poſterius inde fluit, quod inhabilitas ad promittendum pacti validitati obſtare nequeat, ſi inhabilis non promittit ſed acceptat.

§. 207.

Si ergo *in pacto bilaterali paciſcentium vnus eſt ad promittendum inhabilis, alter habilis, pactum ſubſiſtit quoad promiſſionem ab habili, non vero quoad promiſſionem ab inhabili factam,* diciturque tale pactum *claudicans pactum.*

§. 208.

Obiectum pacti dicitur id ad quod praeſtandum per promiſſionem promiſſor ſe obligat, eſtque vel *res*, vel *nudum factum.* Quoad *res* vel res promittitur cum omni in eam iure, vel res

F 5 reten-

retento quodam iure, vel ius retenta re, vel res earumque iura a pluribus ſecum inuicem communicantur. Quoad *nudum factum* promiſſor vel ad committendum, vel ad omittendum, vel ad patiendum ſe obligat.

§. 209.

Ratione obiecti ad pactorum validitatem in genere requiritur 1) *poſſibile eſſe tam phyſice quam moraliter praeſtari a promiſſore ad quod praeſtandum ſe obligat;* 2) *obiectum pacti eſſe determinatum vel per ſe, vel per relationem ad aliud, tumque perinde eſſe ſiue ab incerto euentu ſuſpenſum, an et quid praeſtandum, ſiue non, ſitque, quoad res, ea iam exſtans, ſiue non*, qualis res nondum exſtans *ſimplex ſpes* dicitur, ſi quidem iam exiſtit, aſt in poteſtate promiſſoris nondum eſt, *res ſperata* vero appellatur, ſi nondum exiſtit, ſed ex naturae operatione exiſtentia ſperatur. Ad 1) vid. §. 117. *Introd.* Ad 2) quoniam, ſi plane determinatum non eſt obiectum pacti, promiſſor praeſtare poteſt quod vult, ſicque idem ſit acſi nihil promiſſum.

§. 210.

Hinc fluit 1) *pacta indiſcreta*, quo nomine veniunt pacta quorum obiectum plane non determinatum, *non valere, niſi adſit ex quo determinationem accipere poſſit promiſſio, licet ipſi paciſcentes eam non determinauerint.* E contra vero

2) *pa-*

2) *pacta aleam continentia*, ſi nimirum ſuper incerto euentu conuenitur vt eodem vtrinque ſtetur, *valere*.

§. 211.

Praeter paciſcentes ipſos hic etiam tertius conſiderandus eſt, et quidem triplici modo, dum vel quaeritur an tertius ex noſtro pacto ius acquirere poſſit? vel an tertius ex noſtro pacto obligatus fieri poſſit? vel an in tertii arbitrium conferri poſſit pactum? Reſpondeo ad quaeſtionem primam: *ſi tu mihi promittis quod tertio aliquid praeſtare velis et ego hanc promiſſionem accepto, vel mihi commiſit tertius hoc negotium ſuo nomine expediendum, vel non. In priori caſu tertius ſtatim facta a me acceptatione ius quaeſitum habet ex hoc pacto. In poſteriori caſu aut tertius nondum declarauit, aut iam declarauit, an acceptare velit vel non. Si tertius nondum declarauit an acceptare velit, vel non, ego quidem ex tali pacto ius quaeſitum habeo, non vero tertius, vnde ego tertio inſcio et inuito ius illud remittere poſſum. Si vero tertius iam declarauit an acceptare velit promiſſionem, vel non, tum ſi acceptauit ius quaeſitum habet ex tali pacto, ita vt meum ius quaeſitum nunc ceſſet, tum vero ſi acceptare non vult tertius, ius non acquirit ex tali pacto et meum ius quaeſitum euaueſcit cum toto negotio.* Ex ipſis hypotheſibus de veritate propoſitionis facile conſtabit, modo notetur in dictis caſibus euaneſcere ius quaeſitum promiſſarii, quo-

quoniam non res eius, ſed tertii, agitur. Ad ſecundam quaeſtionem reſponſio ſit haec: *ſi quis promittit tertium tibi aliquid praeſtare, tuque hanc promiſſionem acceptas, aut tertius promiſſori hoc commiſit, aut non, tumque in vltimo caſu aut tertii accedit ratihabitio, aut non. Si tertius commiſit aut ratihabet, tibi ex hoc pacto eſt obligatus, ſi vero mihi nec commiſit, nec ratihabet tertius, tibi ex hoc pacto obligatus non eſt. In omni caſu tamen ipſe promiſſor tibi obligatus eſt, vt omni modo efficere ſtadeat tertium praeſtare quod promiſſum eſt.* Et haec propoſitio quoad tertium ipſum ex ipſis hypotheſibus adiectis facile deduci poteſt. Quod vero de ipſius promiſſoris obligatione dictum, inde patet, quoniam haec promiſſio in ſua poteſtate eſt eatenus quatenus proprium ſuum factum concernit. Quod attinet tertiam quaeſtionem: *ſi tertius arbitratur pactum ſubſiſtit, ſi non vult arbitrari, euaneſcit.* Eſt enim tertium arbitrari hic inſtar conditionis ſuſpenſiuae.

IVST. HENN. BOEHMER *de iure ex pacto tertii quaeſito. cap. 1.* Hal. 1735. et in EIVS Exercit. ad Pand. T. II. p. 256. ſeqq.

TIT. III.
COMMVNIA PACTORVM.

§. 212.

Varia ſunt quae ad omnium ſaltem plurium pactorum communia referri poſſunt, quae ita-

taque, cum praeciſe ad doctrinam de hac ſeu
lla pactorum ſpecie referri nequeant, hic
braemittenda ſunt.

§. 213.

Huc referri poſſunt I) *alterantia pactorum*
de quibus hic repetenda, quae in introductio-
ne §. 288. *ſeqq.* de iis quoad tales actus iuridi-
cos, qui promiſſiones ſunt, docuimus, ita vt
ne quidem quoad damni dolo, culpa, vel caſu
dati praeſtationem ratione damni in pacto dati
aliae locum habeant regulae, quam eae.quae hac
de re in ſuperioribus (§. 315. *l. c.*) traditae ſunt.

§. 214.

Porro huc pertinet II) *euictionis praeſtatio.*
Eſt vero euictionis praeſtatio, reſtitutio damni
et praeſtatio eius quod intereſt, inde orti,
quod tertius iure ſuo vſus ſit, cum alter paci-
ſcentium alteri plus iuris promiſit quam ipſe
habuit.

§. 215.

Ad euictionis praeſtationem requiritur 1)
*alterum paciſcentium alteri plus iuris promiſiſſe quam
ipſe habuit;* 2) *tertium iure ſuo eſſe vſum;* 3) *inde
oriri damnum et intereſſe*, et *his poſitis requiſitis eui-
ctio eſt praeſtanda ab eo qui plus iuris promiſit quam
ipſe habuit, ſiue pactum ſit oneroſum, ſiue beneficum.*
Primum et ſecundum fluit ex definitione §.
praec. Tertium itidem. Quod vero euictio
praeſtanda, et inter oneroſum et beneficum
pactum

pactum non diſtinguendum ſit, inde probandum, quoniam ex pacto oritur ius perfectum ad praeſtandum promiſſum, hincque damnum et intereſſe ex euictione ortum inde eſt, quoniam promiſſor promiſſionem non impleuit, per conſequens ex laeſione. Ergo (§. 182. *Intr.*).

§. 216.

Ad communia pactorum pertinet III) *reſtitutio damni et eius quod intereſt ex datione rei vitioſae orti.* Dicitur vero *res vitioſa* ſi talis non eſt, qualis eſſe debet. *Qualis* vero *res eſſe debeat, aut ex rei natura, aut ex dantis declaratione aeſtimandum eſt.*

§. 217.

Reſtitutio damni eiusque quod intereſt propter dationem rei vitioſae et euictionis praeſtatio in eo differunt quod, licet in vtroque caſu implementum ſit ſecutum, pactum tamen non legitime impletum ſit, et quidem in priori caſu ideo, quoniam promiſſor plus iuris quam ipſe habet tranſferre promiſit, in poſteriori vero ideo, quoniam res eſt vitioſa. Per comparationem definitionum (§. 214. 216.).

§. 218.

Si quis per pactum ſe obligauit quod rem quandam dare velit, deditque eam, aſt vitioſa eſt, tum, ſiue pactum ſit oneroſum ſiue beneficum, reſtitutio damni et eius quod intereſt propter rei vitioſae dationem locum habet, ſi vitium iam adfuit tempore dationis, idque

que viſibile non fuit, quod ſecus ſi viſibile fuit, vel tempore dationis non adfuit. Ipſa reſtitutio damni vero fit duplici modo, vel per redhibitionem rei vitioſae a parte accipientis, et eius quod pro re vitioſa acceptum reſtitutionem, a parte eius qui dedit rem vitioſam, vel per reſtitutionem eius quod acceptum a parte dantis in tantum, in quantum res propter vitium quod habet minoris pretii eſt, et prior modus locum habet, ſi res ita vitioſa eſt vt nullum praeſtet vſum, poſterior ſi vſum quidem praeſtat, aſt non talem, qualem praeſtaret, ſi vitioſa non eſſet. Demonſtratio ad tria redit 1) nec hic inter pacta oneroſa et benefica diſtinguendum eſſe, quod patet per demonſtrationem §. 215. adiectam; 2) vitium iam adfuiſſe tempore dationis, nec id viſibile eſſe, quod inde fluit, quoniam, quoad prius, ſi poſt dationem oritur, promiſſionem tamen impleuit promiſſor, quoad poſterius, ſi vitium viſibile eſt proprie dici nequit rem vitioſam eſſe; 3) reſtitutionem damni diuerſo modo fieri pro caſuum diuerſitate ex ipſa notione reſtitutionis damni (§. 181. *Introd.*) facile deduci poteſt.

§. 219.

Sequitur IV) *Arrha* quo nomine venit quod vel in ſignum pacti initi, vel ea lege, vt ſub eius diſpendio a pacto recedere liceat, datum eſt. Liceat eam in priori caſu *probatoriam*, in poſteriori vero *liberatoriam* arrham appellare.

§. 220.

§. 220.

Arrbae probatoriae datio non inuoluit pactum ſed eſt actus qui de praeſenti abſoluitur, licet circa arrbam pacta iniri poſſint (§. 392. *Introd.*).

§. 221.

Si arrba ſimpliciter data poſtquam pactum initum eſt, hoc eſt, de arrba ipſa nihil conuentum, arrba probatoria eſt, eaque circa pactum ipſum nihil mutat, ſed facilitat tantum probationem pactum eſſe initum, nec in nudis tractatibus ſubſtitiſſe paciſcentes (§. 219.).

§. 222.

Si pacto inito aliquid datur ita vt accedat pactum vi cuius ſub arrbae diſpendio a pacto recedere licet, arrba eſt arrba liberatoria. Quum itaque haec arrha ſemper per pactum conſtituatur de ea infra in doctrina de pactis pluribus agendum.

§. 223.

Si data arrba probatoria pacti impletum ſequitur ea, niſi aliter conuentum, reſtituenda eſt, aut in id quod dans arrbam praeſtare debet imputandum. Si vero pacti implementum non ſequitur, itidem quidem arrba reſtituenda, aſt poteſt tamen is qui arrbam accepit, ſi propter non ſequutum implementum dans ei obligatus eſt, ius retentionis exercere quoad arrbam. Nam in vtroque caſu probatio pactum eſſe initum, hincque arrhae probatoriae finis, ceſſat (§. 219.). Quoad ius retentionis vid. §. 237. *Introd.*

§. 224.

§. 224.

Ad communia pactorum V) referri poſſunt
enerales quaedam doctrinae quae *rerum valo-*
m in reſpectu ad pacta reſpiciunt. Quid
t rerum valor eumque vel *pretium*, vel *merce-*
m eſſe, et merceden in *mercedem in ſpecie ſic*
ctam et *vſuras* abire, ſupra §. 106. *Introd.* iam
ictum. Hic itaque addenda ſunt de valore
usque ſpeciebus generalia quaedam princi-
ia in vſum doctrinae de pactis.

§. 225.

Aeſtimare eſt rei valorem determinare, fit-
ue aeſtimatio ex duplici fine, vel *venditionis*
el *taxationis* cauſa, prout vel ideo fit vt eius
ui rem noſtram damus arbitrio committamus
n rem eandem reſtituere, an vero eius valo-
em per aeſtimationem determinatum ſoluere
elit, vel ideo vt, ſi rem ea lege, vt eadem
lla reſtituatur, datam, reſtitui impoſſibile ſit,
n ſubſidium valor per aeſtimationem determi-
us ſoluatur.

§. 226.

Hinc fluit: *eum cui res data facta eius aeſti-
natione venditionis gratia, de ea tanquam de re ſua
liſponere poſſe, non vero ſi aeſtimatio tantum taxa-
ionis gratia facta.*

§. 227.

Honorarium dicitur quicquid datur vel re-

munerandi animo ob praeſtationem quandam gratuitam, vel ob praeſtationem quandam pecunia non aeſtimabilem. Hinc patet 1) *honorarium prioris generis poſſe eſſe mercedem, nunquam vero honorarium poſterioris generis mercedem eſſe* (§. 106. *Introd.*). 2) *Honorarium prioris generis non mutare naturam pacti gratuiti, omnino vero honorarium poſterioris generis, ſi ad illud dandum adeſt obligatio perfecta.*

§. 228.

Laeſio per pactum fieri dicitur, ſi in pactis oneroſis aequalibus valor eius quod praeſtatur ab vna parte, non eſt aequalis valori eius quod praeſtatur ab altera parte.

§. 229.

Si laeſio per pactum facta aut laeſus ſcit inaequalitatem adeſſe, aut non. Si prius laeſione non obſtante pactum validum eſt. Si poſterius laeſus a pacto quidem recedere nequit, aſt tamen laeſio eſt emendanda, quod ſit dum in lucro haerens reſtituit quod aequalitatem excedit. Prius ideo, quoniam volenti non fit iniuria, obtinet. Poſterius ideo, quoniam ſi laeſus neſciuit inaequalitatem, voluit aequalitatem obſeruari, ſicque laeſio quidem emendenda, aſt tamen a pacto ideo recedere nequit, quoniam laeſione emendata habet quod vult.

§. 230.

Quoad mercedis ſpeciem *Vſuras* et hic notan-

ındum praeter obligationem immediatam ad ſurarum ſolutionem (§. 183.) etiam dari pa- titiam, ſi ſunt promiſſae vel expreſſe, vel ta- ite, et quoad quantitatem hic omnia redire, diſceſſeris ab officiis humanitatis, ad paci- ;entium arbitrium. Quum vero tale pactum er quod vſurae promittuntur ſit pactorum diectorum ſpecies, quod pactum vſurarium ppellatur, hoc loco de vſuris ex pacto prae- andis plura non addo.

(b)
)E IPSIS IVRIBVS ET OBLIGATIONI- BVS PERSONALIBVS MEDIATIS QVAE EX PROMISSIONIBVS ORIVNTVR.

§. 231.

Abſolutis generalibus de promiſſionibus ›rincipiis, nunc ſequuntur ipſa iura ipſaeque ›bligationes mediatae, quae ex iis oriuntur, ıuaeque pro diuerſitate promiſſionum diffe- unt (§. 192.). Quum vero omnes promis- iones ad tales quae mortis cauſa fiunt, et tales ıuae inter viuos fiunt, reduci poſſint (§. 268. ıtrod.) pro hac earum diuerſitate de 1) *promiſ- onibus mortis cauſa*, 2) *iis quae inter viuos fiunt* gendum.

(A)

DE IVR. ET OBL. PERSON. MED. EX PROMISSIONIBVS MORTIS CAVSA FACTIS.

§. 232.

Promiſſiones mortis cauſa factae ſunt triplicis generis, *vltimae voluntates*, *pacta ſucceſſoria* et *mortis cauſa donationes* (§. 268. *Introd.*). Quod vero attinet vltimas voluntates, licet ex iis oriatur ius legatariorum quod perſonale eſt (§. 123.), ſola vltima voluntas tamen hoc non efficit, ſed potius proxime ex pacto tacito inter haeredem aliumue honoratum et legatarium venit, indeque infra in doctrina de haerede hoc ius erit explicandum, et hic non niſi de 1) *pactis ſucceſſoriis*; 2) *mortis cauſa donationibus*, agendum.

TIT. I.

DE IVR. ET OBLIG. PERS. MED. EX PACTIS SVCCESSORIIS.

§. 233.

Pacta ſucceſſoria admittunt duplicem ſignificatum latiorem et ſtrictiorem, qui vltimus magis proprius quam prior eſt, et ſemper locum habet, quoties ſimpliciter pacti ſucceſſorii mentio fit, vnde et in hoc ſignificatu pactum ſucceſſorium §. 268. *Introd.* definitum. Aſt in *latiori* ſignificatu omne pactum quod circa futu-

futuram ſucceſſionem verſatur ſucceſſorium pactum dicitur, et in hoc ſenſu ſumtum vel acquiſitionem, vel amiſſionem, vel conſeruationem iuris haereditarii concernit. In caſu ſecundo dicitur *renunciatiuum*, in tertio *conſeruatiuum*. In primo caſu vero, vel promittentis futuram haereditatem concernit, vel tertii, ſi illud, dicitur *acquiſitiuum* ſeu ſimpliciter pactum ſucceſſorium, ſi hoc, *diſpoſitiuum*.

§. 234.

Doctrinae de iuris haereditarii amiſſione per renunciationem (§. 163. *Intr.*) *eiusque conſeruatione* (§. 165. *l. c.*) *differunt a doctrinis de pacto ſucceſſorio renunciatiuo et conſeruatiuo in eo, quod ibi ius haereditarium quaeſitum ſaltem delatum, hic futurum ius haereditarium ſeu futura ſucceſſio ſupponatur, hincque ibi iam mortuus ſit is de cuius haereditate quaeritur, hic adhuc viuat.* (§. praec.).

§. 235.

Quum, quod attinet pacta ſucceſſoria ſimpliciter ſic dicta ſeu acquiſitiua, iam in ſuperioribus euictum ſit talia pacta omnino locum habere (§. 147), vt et quomodo ex iis ius haereditarium poſt mortem eius, qui per pactum determinauit ſuam ſucceſſionem, acquiratur iam docuimus (§. 157.); quippe quae doctrinae, cum concernant ius in re, huc non pertinent: hic de iure quod per hoc pactum acqui-

ritur agendum, *quod non ipſum ius haereditari eſt, ſed ex ſolo hoc pacto non niſi ius perſonale oriti vi cuius nobis, dum moritur promiſſor, defertur ius ha reditarium aut in totam haereditatem, aut eius parte vel quantam, vel quotam.* Quum omne pactu in futurum promineat, ſcilicet in eius quod pro mittitur implementum (§. 266. *Intr.*), hic ver promittatur delatio iuris haereditarii (§. 26 *Introd.*), ipſum ius haereditarium per hoc pa ctum non acquiri patet.

§. 236.

Hinc ſequitur: 1) *inito pacto ſucceſſorio acqui ſitiuo ius ad delationem iuris haereditarii eſſe quaeſi tum ius, aſt ius haereditarium ipſum eſſe adhuc iu futurum licet radicatum;* 2) *ius teſtandi ei non com petere qui per pactum ſucceſſorium acquiſitiuum ſucceſ ſionem ſuam iam determinauit, quatenus per illud de terminata;* 3) *pactum ſucceſſorium acquiſitiuum tan tum afficere poſſe ea bona quae liberae paciſcentis di ſpoſitioni ſubſunt, id eſt, quae in eius dominio patri moniali ſunt.*

§. 237.

Pacta ſucceſſoria diſpoſitiua tam certi, quam in certi tertii futuram haereditatem concernere poſſunt, ſiue in caſu priori tertius certus conſentiat, ſiue non. Ad hanc pactorum ſpeciem vero non pertinet pactum ſucceſſorium per quod tertio ſucceſſio promittitur, quip pe quod potius acquiſitiuum eſt (§. 233.). *Caeterum quid iuſtum ſit circa haec pacta ex iis quae de tertio* §. 211. *docuimus patet.* TOM.

TOB. IAC. REINHARTI *de pacto circa haereditatem tertii ignorantis certi bonis moribus non refragante, adeoque tam iure naturae quam moribus germanorum valido.* Erf. 1718.

TIT. II.

DE IVR. ET OBLIG. PERS. EX MORTIS CAVSA DONATIONIBVS.

§. 238.

Donatio mortis cauſa ſupra definita (§. 268. *Introd.*) in eo differt a pacto ſucceſſorio quod 1) *obligatio ex hac donatione ab euentu mortis donantis ſit ſuſpenſa, obligatio ex pacto ſucceſſorio vero non* (§. 268. *Introd.*); 2) *haec donatio ſemper acquiſitionem iuris haereditarii concernat, non vero pactum ſucceſſorium* (§. 233.); 3) *donatio mortis cauſa ſemper ipſius donantis haereditatem reſpiciat, cum pactum ſucceſſorium etiam quoad tertii haereditatem locum habeat* (§. 233.); licet occaſione mortis tertii aliquid promitti, aut de praeſenti transferri poſſit, quod tertii non eſt, quale negotium *mortis cauſa capio* dicitur.

§. 239.

Donatio mortis cauſa differt ab vltima voluntate in eo quod promiſſio per hanc donationem facta acceptanda, cum quoad vltimam voluntatem acceptationem non accedere neceſſe ſit. Per comparationem definitionum (§. 268. *Introd.*).

§. 240.

Non quaelibet donatio in qua mentio fit mortis, eſt mortis cauſa donatio, ſed potius diſtinguendum eſt an mortis mentio fiat in verbis enunciatiuis, per quae ſcilicet nuda aſſertio (§. 286. Introd.) fit, an vero in verbis diſpoſitiuis, per quae ſcilicet diſpoſitio (§. 265. l. c.) fit. In priori caſu donatio nunquam mortis cauſa donatio eſt. In poſteriori caſu vero iterum diſtinguendum an verba diſpoſitiua in quibus mortis mentio fit ſint tantum executiua, hoc eſt talia per quae diſponitur quo tempore quod promiſſum acceptantis fieri debeat, quo caſu itidem donatio non eſt mortis cauſa donatio, an non, quo caſu talis eſt, ſi ab euentu mortis ſuae promiſſor ſuſpendit obligationem. Per definitionem mortis cauſae donationis (§. 268. *Introd.*).

§. 241.

Donatio mortis cauſa eſt pactum quod ſua natura conditionem, ſi donans ad mortem vſque in declarata voluntate perſeuerauerit, in ſe continet, quae eſt poſſibilis, ſuſpenſiua et poteſtatiua ex parte promiſſoris (§. 268. 289. 290. 291. *Introd.*).

§. 242.

Iura et obligationes quae ex donatione mortis cauſa oriuntur concernunt futuram ſucceſſionem vel in totam haereditatem, vel in partem eius. Quoad iuris quod facta donatione competit donatario mortis cauſa qualitatem vero diſtinguendum eſt inter ius haereditarium

iam ipſum quod a conditione ſuſpenſum et ius illud uod tendit ad huius iuris acquiſitionem. Prius per oc pactum non acquiritur, et quomodo mediante adi-ione acquiratur, conſtat ex dictis §. 157. 158. *Poſterius vero ex hoc pacto oritur, eſtque, pendente icet adhuc conditione, ius perſonale praeſens ſeu quae-itum. Idem valet de obligatione quoad hoc pactum* §. 292. *Introd.*).

(𝔅)

DE IVR. ET OBLIG. PERSON. MED. EX PROMISSIONIBVS INTER VIVOS FACTIS.

§. 243.

Promiſſiones mortis factas excipiunt promiſſiones inter viuos factae (§. 231.). Hae ſunt vel *pollicitationes*, vel *pacta* (§. 263. *Introd.*). Aſt, cum pollicitatio, tanquam promiſſio non acceptata, nulla iura nullasque obligationes producat (§. 271. *l. c.*), omnia hic redeunt ad doctrinam de pactis ſimpliciter ſic dictis, indeque oriundis iuribus et obligationibus. Quum vero haec iura haeque obligationes differant pro pactorum diuerſitate, in iis explicandis diuerſae pactorum ſpecies a ſe inuicem ſeparandae ſunt ita vt, quantum fieri poteſt, et haec doctrina iuri poſitiuo accommodetur (§. 8. *Introd*). Hinc agendum ſigillatim de pactis 1) *veris*, 2) *quaſi pactis*.

(a)

DE PACTIS VERIS.

§. 244.

Quoad pacta vera, cum alia eorum ſint ſimplicia, alia compoſita (§. 199.), ſigillatim agendum de 1) *ſimplicibus*; 2) *compoſitis*.

(α)

DE PACTIS SIMPLICIBVS.

§. 245.

Inter alias pactorum diuiſiones generales et haec occurrit quod vel *obligatoria*, vel *liberatoria*, vel *mixta* ſint (§. 197.). Quum itaque in ſpecie inter pacta ſimplicia ſint alia obligatoria, alia liberatoria, alia mixta, in hac tractatione hae ſpecies a ſe inuicem diſtinguendae ſunt.

(א)

DE PACTIS SIMPLICIBVS OBLIGATORIIS.

§. 246.

Inter obligatoria pacta praeſertim alia *principalia*, alia *minus principalia* ſunt (§. 198). Principalia itaque a nimus principalibus hic ſeparanda ſunt.

(I)

(I)

DE PACTIS SIMPLICIBVS OBLIGATORIIS PRINCIPALIBVS.

§ 247.

Pacta ſimplicia obligatoria principalia differunt multis modis. Inter alias eorum differentias et haec eſt, quod ſint vel pacta *re inita*, vel *ſine re inita* (§. 203.), pro qua differentia hic de iis agendum.

TIT. I.

DE PACTIS SIMPL. OBLIG. PRINC. RE INITIS.

§. 248.

Pacta huius generis ſunt ſub his generalibus formulis comprehenſa pacta: 1) *do vt des*; 2) *do vt facias*; 3) *facio vt facias*; 4) *facio vt des*. De his ſpeciebus nunc ſigillatim agendum.

§. 249.

Pactum do vt des eſt pactum quo re actu data ab vna parte, ab altera parte accipiens promittit ſe viciſſim aliquid dare velle. Eſt itaque, cum rem ab vna parte datam eſſe requiratur, pactum re initum (§. 203), et, cum accipiens tantum promittat, vnilaterale (§. 200).

§. 250.

Ex innumeris pactorum ſpeciebus ſub hac formula generali comprehenſis, dantur quae

per

per terminum technicum receptum ab aliis di-ſtingui poſſunt, cum quoad alia talis deſit. Ad pacta prioris generis pertinent 1) *mutuum; 2) commodatum; 3) pignus* et 4) *pactum permutatori-um*, de quibus itaque ſigillatim, praemiſſis iis quae generatim de pacto dos vt des notanda ſunt, agendum.

§. 251.

Si quis promittit ſe velle mihi aliquid dare et ego viciſſim promitto quod aliquid dare velim, pactum non eſt pactum do vt des. Hic enim a nulla parte actu aliquid datum eſt. Ergo §. 149.

§. 252.

Actus quo ego de praeſenti aliquid do et alter vi-ciſſim de praeſenti aliquid dat, non eſt pactum do vt des, ſed eſt actus qui de praeſenti abſoluitur a pacto diſtinguendus. Hic enim a nulla parte aliquid pro-mittitur. Ergo §. 293. *Introd.*

§. 253.

Ex pacto do vt des dans nunquam, accipiens ſem-per obligatus ſit ad dandum quod ſe dare velle pro-miſit, eſtque id quod vel dans dat, vel accipiens dare promittit, vel res ipſa, ſiue ſimpliciter vt res conſi-derata, ſiue vt valor eius quod accepit, vel rei vſus, vel rei poſſeſſio. Prius inde patet quoniam dans nihil promittit, vbi vero nulla promiſſio ibi nulla obligatio ex pacto eſt, per pacti definitio-nem (§. 268. *Introd.*). Poſterius per ſe patet.

§. 254.

§. 254.

Haec ſufficiant de pacto do vt des in genere. Quod attinet in ſpecie I) *mutuum* illud eſt pactum quo data re ad vſum talem per quem conſumitur, accipiens promittit rei cum accepta eiusdem qualitatis et quantitatis dationem.

§. 255.

Licet rem ſuam mutuo dans immediate non niſi hoc intendat alterum re ſua vti, mediate tamen vult rem mutuo datam fieri eſſe cui eam mutuo dedit, vt itaque mutuum omnino alienationem rei mutuo datae inuoluat. Id quod inde fluit, quoniam vſus quem mutuo dans concedit talis eſt per quem res conſumitur (§. *praec.*).

§. 256.

Ex mutuo mutuans acquirit ius perſonale a mutuatario poſtulandi rei ſuae ita factam dationem vt ratione mutuantis perinde ſit acſi res nunquam mutuo data eſſet, cui iuri reſpondet in mutuatario obligatio. Per definitionem mutui (§. 254.).

§. 257.

Sequitur II) *commodatum* quod eſt pactum quo data re ad vſum gratuitum per quem non conſumitur, accipiens promittit eiusdem rei finito vſu reſtitutionem.

§. 258.

Commodatum itaque *non inuoluit alienationem, et ex hoc pacto acquirit commodans ius perſonale fi-*

nito

nito vſu conceſſo rei eiusdem reſtitutionem poſtulandi cui iuri reſpondet in commodatario obligatio.

§. 259.

Progredior III) ad *pignus* ſeu *pactum pignoratitium* quod eſt pactum quo data rei poſſeſſione iuris pignoris in ſpecie ſic dicti cauſa, accipiens rei eiusdem reſtitutionem promittit.

§. 260.

Pacto pignoratitio inito inter ipſum ius pignoris et ius ex pacto pignoratitio diſtinguendum eſt. Prius ſupra §. 102. *ſeqq. explicatum nec ex hoc pacto oritur. Poſterius vero eſt ius perſonale debitoris a creditore poſtulandi, vt debito ceſſante rem eandem quam accepit reſtituat, cui iuri reſpondet in creditore obligatio.* Per definitionem huius pacti.

§. 261.

Pertinet huc IV) *pactum permutatorium* ab ipſa permutatione, tanquam actu qui de praeſenti abſoluitur, diuerſum. Eſt vero illud pactum quo actu data re ipſa ab vna parte, accipiens ab altera parte rei ſub eodem genere cum data comprehenſae dationem promittit.

§. 262.

Pactum permutatorium itaque *inuoluit alienationem, et ex hoc pacto acquirit dans ius perſonale ab accipiente poſtulandi vt rem promiſſam det, cui iuri reſpondet in accipiente obligatio.*

§. 263.

§. 263.

Praeter pactum do vt des et hic de pacto *do vt facias* agendum (§ 248.) quod eſt pactum, quo re actu data ab vna parte, accipiens ab altera parte promittit ſe viciſſim aliquid facere velle. Eſt itaque et hoc pactum ex dictis §. 249. rationibus reale et vnilaterale.

§. 264.

Quae de pacto do vt des ſupra §. 251. et 252. dicta ſunt, valent etiam mutatis mutandis de hoc pacto. Ex iisdem rationibus.

§. 265.

Vnica datur praeterea ſpecies pacti do vt facias quae ſpeciale nomen habet, nimirum *depoſitum*, quod eſt pactum quo actu data re ab vna parte ad cuſtodiam, alter promittit quod eam gratis praeſtare velit.

§. 266.

Ex depoſito ergo deponens acquirit ius rei depoſitae cuſtodiam, eaque finita, reſtitutionem poſtulandi a depoſitario, cui iuri reſpondet in depoſitario obligatio.

§. 267.

Quae ſuperſunt pacta realia *facio vt facias*, vt et *facio vt des* (§. 248.), quorum hoc eſt pactum quo facto quodam ab vna parte actu praeſtito, alter a ſua parte viciſſim facti cuiusdam praeſtationem promittit, illud vero pactum quo facto quodam ab vna parte actu praeſtito,

alter

alter a ſua parte viciſſim promittit quod aliquid dare velit, nec ſub ſe continent ſpecies quae ſpeciale nomen habent, nec adſunt ſpecialia de his pactis notanda.

§. 268.

Caeterum de pactis re initis in genere adhuc notandum *quod licet ex iis ſemper non niſi vnus obligetur, non deſint tamen obligationes immediatae, quae occaſione horum pactorum oriuntur, et tenent eum qui actu dedit vel fecit* (§. 168.).

TIT. II.

DE PACTIS SIMPL. OBLIG. PRINC. SINE RE INITIS.

§. 269.

Pacta quae ſunt huius generis infinitis modis variant, reduci tamen poſſunt ad has claſſes, quod vel *vnilateralia*, vel *bilateralia* ſint.

§. 270.

Pacta vnilateralia huius generis quae per terminum technicum receptum ab aliis diſtingui poſſunt ſunt 1) *pactum donationis inter viuos*, ſeu *donatio inter viuos;* 2) *pactum interceſſorium* 3) *mandatum.*

§. 271.

Donatio inter viuos pro pacto ſumta, ſeu *pactum donationis inter viuos*, opponitur donationi mortis cauſa (§. 268. *Intr.*) et eſt pactum quo vnus pro-

promittit alteri eius quod ſuum eſt gratuitam translationem, ita vt a morte ſua obligatio non ſuſpendatur.

§. 272.

Hinc fluit 1) *per donationem in hoc ſenſu ſumtam dominium quidem non transferri, aſt tamen implemento huius promiſſionis ſecuto, dominium translatum eſſe, licet traditio nondum ſit facta, et ipſam donationem hanc non niſi ius perſonale operari poſtulandi a donatore vt dominium transferat* (§. 77.); 2) *tam res corporales, quam incorporales, veluti ſeruitutes, per donationem promitti poſſe.*

§. 273.

Pactum interceſſorium dicitur quo vnus alteri promittit expletionem obligationis tertii, quod ſi fit in ſubſidium, *fideiuſſio* ſeu *conſtitutum debiti alieni*, ſi principaliter, *expromiſſio* appellatur.

§. 274.

Licet itaque *per pactum interceſſorium vtrumque promittens ſe obliget ad expletionem obligationis tertii, in eo tamen differunt inter ſe fideiuſſio et expromiſſio, quod in priori caſu tum demum expletio obligationis tertii fieri debeat a promiſſore ſi a tertio non ſit, in poſteriori vero ſimpliciter.*

§. 275.

Mandatum eſt pactum quo vnus promittit alteri negotiorum ſuorum ſibi commiſſorum gratuitam expeditionem.

§. 276.

Cum *committere* ſit alterum ſibi perfect obligare ad aliquid ſuo nomine faciendum, e hac notione, iuncto mandati conceptu, patet : *per ſolam commendationem mandatum non contra* (§. 274. *Intr.*); 2) *mandatarium obligatum eſſe e hoc pacto ad adimplendum mandatum, cui obligatio reſpondet in mandante ius.*

§. 277.

Licet ex pactis ſine re initis vnilateralibus vnu paciſcentium tantum obligetur, alter tamen occaſion horum pactorum immediate ex lege obligatus fiei poteſt, ſi tale quid adeſt quod parit immediatam obligationem (§. 168.).

§. 278.

Sequuntur pacta ſine re inita bilateralia (§ 269.), quae vel *diremtoria*, vel *communicatoria* ſunt (§. 200.).

§. 279.

Quae ex iis diremtoria ſunt reduci poſſunt ad haec ſumma genera: 1) *pactum quo ab vtraque parte res promittitur;* 2) *pactum quo ab vtraque parte factum promittitur*; 3) *pactum quo a parte promittentis res, et a parte repromittentis factum promittitur;* 4) *pactum quo a parte promittentis factum, a parte repromittentis res promittitur.*

§. 280.

De his pactis in genere notandum quod

1) *a*

1) *a pactis do vt des etc.* (§. 248.), *in eo differant, hic nullam actu iam factam praeſtationem adeſſe;* 2) *tum inita eſſe, ſi de vtriusque conſenſu conſtat, perfecta, ſi obiectum antea incertum certum factum, conſummata vero, ſi ab vtraque parte praeſtatio eius quod promiſſum acceſſit.*

§. 281.

Quod in ſpecie attinet pactum quo ab vtraque parte res promittitur, eo pertinent *emtio venditio*, *locatio conductio rerum*, *permutatio*, cum *locatio conductio operarum* ad pactum quo ab vna parte factum, ab altera res promittitur, referri debeat.

§. 282.

Emtio venditio eſt pactum quo ab vna parte res ipſa, ab altera vero eius pretium, per pecuniam numeratam ſoluendum, promittitur. Eſtque, prout res quae venditur eſt res iam exſtans, vel non, vel *emtio venditio ſimpliciter ſic dicta*, vel *non*. In poſteriori caſu vero, vel *emtio venditio ſpei*, vel *emtio venditio rei ſperatae* eſt, prout res non exſtans vel ſimplex ſpes, vel res ſperata eſt (§. 209.).

§. 283.

Ex emtione venditione itaque obligatus eſt venditor ad dominii rei venditae translationem eiusque traditionem, emtor vero ad pretii promiſſi ſolutionem. Quibus obligationibus reſpondent in venditore et emtore iura (§. praec.).

 §. 284.

§. 284.

Locatio conductio rerum eſt pactum quo vſu rei ab vna parte, ab altera vero merces, per pecuniam numeratam ſoluenda, promittitur cum *locatio conductio operarum* ſit pactum qu operae ab vna parte, ab altera vero merces per pecuniam numeratum ſoluenda, promittitur, eaque eſt vel *locatio conductio operis*, vel *locatio conductio operarum in ſpecie ſic dicta*, prout operae promiſſae vel tales ſunt per quas promiſſor opus quoddam ex noſtra materia facit vel non. *Si* itaque *conueniatur cum artifice v opus ex ſua materia faciat, pretio in opus perfectum et conſummatum conſtituto, pactum locatio conductio non eſt, ſed emtio venditio rei exſtiturae.*

§. 285.

Ex locatione conductione itaque *oritur a parte locatoris tam obligatio promiſſum rei vſum concedendi et operas promiſſas praeſtandi, quam eius ius mercedem promiſſam poſtulandi. Vnde per ſe patet quale ius qualisque obligatio ex hoc contractu ratione conductoris oriatur.*

§. 286.

Permutatio pro pacto ſumta, eſt pactum quo vnus promittit rem ipſam, et alter viciſſim promittit rem ipſam aliam.

§. 287.

Differt itaque *permutatio pro pacto ſumta, a pacto permutatorio* (§. 261.) *in eo, quod in permutatione*

ione ab vtraque parte promiſſio ipſius rei, in pacto permutatorio vero ab vna parte res iam actu data et ab altera tantum promiſſio fiat. Caeterum per ſe patet in quo differant emtio venditio et locatio conductio a permutatione, quaeque iura et obligationes ex hoc pacto oriantur.

§. 288.

Pacta ſine re inita bilateralia diremtoria excipiunt communicatoria (§. 278.), quae vno nomine *ſocietas*, ſcilicet *bonorum*, dicuntur, cui opponitur *ſocietas perſonarum*, de qua infra in iure perſonarum agendum. Eſt vero ſocietas bonorum, ab ipſo condominio ſeu ipſa communione (§. 220. *Introd.*) diſtinguenda, pactum de rebus vel operis communicandis, id quod fit, vel communis lucri ſeu damni cauſa, vel non, et in priori caſu ſpeciatim *negotiatoria ſocietas* appellatur.

§. 289.

Societatis negotiatoriae variae concipi poſſunt ſpecies pro diuerſitate eius quod communicatur. Communicari enim poſſunt 1) *res ab vtraque parte tantum;* 2) *operae ab vtraque parte tantum;* 3) *res ab vna parte tantum et operae ab altera parte tantum.* Licet vero adhuc plures ſpecies concipi poſſint, reliquae tamen ad pacta compoſita, de quibus infra, commodius referri poſſunt.

§. 290.

Ex ſocietate ſemper quidem oritur communio quaedam, aſt non ſemper ipſorum collatorum condominium per eam conſtituitur, ſed vel vſum tantum, vel et rem ipſam communio afficit. Per definitionem (§. 288.).

§. 291.

Ex ſocietate quilibet ſociorum acquirit ius ab altero ſociorum poſtulandi collationem eius quod ſe conferre velle promiſit et, ſi praeciſe negotiatoria eſt, lucri diuiſionem, cui iuri in vno ſociorum reſpondet obligatio in altero. Quodſi vero euentus intentioni in ſocietate negotiatoria non reſpondet, ſed adeſt damnum caſuale, quilibet ſociorum illud itidem ferre debet. Id quod itidem ex definitione ſocietatis in genere et in ſpecie negotiatoriae deducendum (§. 288.).

(II)
DE PACTIS SIMPLICIBVS OBLIGATORIIS MINVS PRINCIPALIBVS.

§. 292.

Minus principalia pacta quae nunc ſequuntur (§. 246.) pro ea diuerſitate, quod vel ſint pacta *praeparantia*, vel pacta *adiecta* (§. 198.) ſpecialius pertractanda ſunt; licet dentur pacta quae praeparantia et adiecta ſimul, ſicque mixta pacta minus principalia ſunt.

TIT.

TIT. I.
DE PACT. SIMPL. OBLIG. MINVS PRINC. PRAEPARATORIIS.

§. 293.

Praeparantia pacta ſunt duplicis generis, alium per alia *pacta re inita* praeparantur, per alia vero *pacta ſine re inita.*

§. 294.

Pactorum praeparantium primi generis tot dantur ſpecies, quod ſunt pactorum re initorum principalium ſpecies, et prout quaedam pactorum principalium re initorum ſpecialia habent nomina, ita nec talia deſunt quoad pacta praeparantia, veluti pactum de *mutuando*, *commodando*, *oppignorando*, *deponendo*, *permutando.*

§. 295.

Pacta praeparantia pactorum principalium re initorum in eo differunt a pactis re initis ipſis, quod nulla hic accedat actualis praeſtatio, ſicque ſint ſine re inita pacta (§. 203.). *Vt vero haec pacta obligent requiritur ea non eſſe indiſcreta* (§. 210.). *Caeterum per ſe patet ex eorum implemento oriri ipſum pactum re initum.*

§. 296.

Quae de ſpeciebus pactorum praeparantium quoad pacta re inita dicta ſunt §. 294. valent etiam de pactis praeparatoriis quoad

 pacta

pacta ſine re inita. Vnde patet quid ſint pactum de *emendo, vendendo, locando, conducendo, mandato ſuſcipiendo, ineunda ſocietate.*

§. 297.

Pacta praeparantia ad pacta ſine re inita, differunt ab ipſis pactis principalibus quae praeparant in eo, quod 1) *in pactis praeparantibus conſenſus in futurum pactum expreſſe concipiatur, quod in principalibus pactis ſecus eſt, et licet* 2) *vtrumque pactum ſit pactum ſine re initum, ad pacti principalis exiſtentiam tamen praeter pactum minus principale adhuc noua promiſſio a priori ſpecie diuerſa requiritur, praeſertim ſi per pactum praeparatorium conſenſus non niſi generaliter determinatus.* Quae omnia ex definitionibus deducenda ſunt.

TIT. II.
DE PACT. SIMPL. OBLIG. MINVS PRINC. ADIECTIS.

§. 298.

Pacta adiecta in genere vel *confirmantia*, vel *adiicientia*, vel *detrahentia* pacta ſunt, prout vel obligationem ex pacti cui adiiciuntur natura venientem confirmant, vel nouam obligationem ex pacti principalis cui adiiciuntur natura non venientem conſtituunt, vel obligationem ex pacti principalis cui adiiciuntur natura venientem tollunt. Cum vero

pacta

pacta detrahentia ad liberatoria pacta referri debeant, hic non niſi de iis quae confirmantia et adiicientia ſunt agendum.

§. 299.

Pactorum adiectorum huius generis infinitae dantur ſpecies, ex quibus praeſertim notari merentur 1) *pactum vſurarium*; 2) *pactum de redimendo*, *protimiſeos*, et de *retrouendendo*; 3) *pactum antichreticum*; 4) *pactum de praeſtanda euictione*.

§. 300.

Pactum vſurarium eſt pactum quo quis pro vſu rei alienae, ſeu alteri debitae, vſuras promittit; vnde *hoc pactum non mutuo ſolum, ſed et aliis pactis accedere poteſt, et efficit pactum cui adiicitur fieri oneroſum pactum* (§. 201.).

§. 301.

Pactum de redimendo eſt pactum quo venditor emtori promittit, quod rem venditam ab emtore emere velit; *pactum de retrouendendo* eſt pactum quo emtor venditori promittit, quod rem emptam venditori vendere velit; *pactum protimiſeos* eſt pactum quo emtor venditori promittit, quod, ſi aliquando rem emtam iterum vendat, venditori prae aliis eam vendere velit. *Haec pacta* itaque *tantum emtioni venditioni adiici poſſunt ſuntque ratione futurae emtionis venditionis ſimul pacta praeparantia, ſicque mixta ex adiectis et praeparantibus pactis.*

§. 302.

Ius protimiſeos quod oritur ex pacto protimiſeos differt a iure retractus in eo quod ſit ius perſonale, cum ius retractus ſit ius reale, ſicque inde non oriatur ius reuocandi rem venditam a nouo domino (§. 111.).

§. 303.

Pactum antichreticum ſupra §. 103. *definitum non niſi pacto pignoris adiici poteſt, de eius effectibus vero videatur* §. *allegatus.*

§. 304.

Pactum de praeſtanda euictione dicitur, quo quis alteri euictionis praeſtationem promittit, de cuius indole ex iis quae de praeſtatione euictionis ſupra §. 214. *ſeqq.* dicta ſunt, facile conſtat.

(ב)

DE PACTIS SIMPLICIBVS LIBERATORIIS ET MIXTIS.

§. 305.

Abſolutis pactis ſimplicibus quae obligatoria ſunt, ſequuntur *liberatoria* et *mixta* (§. 245.).

§. 306.

Pacta liberatoria cum et ſine re inita pacta eſſe poſſunt, nec ſunt ſemper principalia, ſed dantur inter ea quae ſunt minus principalia, prout etiam vel vnilateralia, vel bilateralia eſſe poſſunt. Naturae harum pactorum enim non repugnant hae pactorum diuiſiones.

§. 307.

§. 307.

Ex immuneris pactorum huius generis ſpeciebus pauca ſunt quae ſpeciale habent nomen, qualia ſunt quoad pacta liberatoria tantum et quidem principalia, *pactum de non petendo* ſeu *pactum remiſſorium*, quoad minus principalia, *pactum reſolutiuum* cuius ſpecies ſunt *pactum arrhale*, *pactum commiſſorium*, *pactum addictionis in diem*, *pactum diſplicentiae*.

§. 308.

Pactum de non petendo ſeu *pactum remiſſorium* dicitur quo creditor promittit debitori, quod debitum nunquam exigere velit. *Differt* itaque *pactum remiſſorium a renunciatione in eo*, *quod remittens ius ſuum non nude declaret ſe nolle illud amplius habere*, *ſed ſimul per pactum remiſſorium alteri ius quaeratur* (§. 464. *Introd.)*, *hincque ad pactum remiſſorium acceptatio debitoris neceſſaria ſit*. *Differt porro a donatione inter viuos in eo*, *quod donans eius quod ſuum eſt in alterum translationem promittat*, *id quod non fit a remittente* (§. 271.); *licet negari nequeat magnam eſſe inter eam et pactum de non petendo ſimilitudinem.*

§. 309.

Pactum dicitur *reſolutiuum*, ſi paciſcentes conueniunt de conditione quadam reſolutiua pacto principali adiicienda, quae conditio eſt vel, ſi implementum non ſequitur, quo caſu *pactum commiſſorium* ſeu *lex commiſſoria*, vel, ſi melio-

meliorem conditionem offerens inueniatur, quo caſu *pactum addictionis in diem*, vel, ſi datam arrham liberatoriam perdere velit dans, quo caſu *pactum arrhale*, vel, ſi non amplius placet vni alteriue pactum ſubſiſtere, quo caſu *pactum diſplicentiae* dicitur.

§. 310.

Pactum reſolutiuum eſt vel *reſolutiuum ex nunc*, ſi pactum retro reſoluitur, quaſi ab initio ſtatim fuiſſet nullum, vel *reſolutiuum ex tunc*, ſi pactum reſoluitur eo quo exiſtit tempore, vt ab eo demum habeatur pro nullo.

§. 311.

Ad pacta ex obligatoriis et liberatoriis mixta pertinet *nouatio*, de qua ſupra (§. 443. *Intr.*), *transactio* et *compromiſſum*. Conueniunt vero transactio et compromiſſum in eo quod ſint ſpecies amicabilis compoſitionis, de qua infra in iurisprudentia practica agendum.

(β)

DE PACTIS COMPOSITIS.

§. 312.

Ordo tangit pacta compoſita ſeu mixta (§. 244.), *quae vel ex pactis principalibus et minus principalibus mixta ſunt, vel ex variis pactis principalibus. Praetereaque vel non niſi ex duobus pactis, vel ex pluribus mixta eſſe poſſunt* (§. 199.).

§. 313.

§. 313.

Ad pacta compoſita ex duobus pactis quo-d pacta re inita pertinent omnia pacta quae omprehenſa ſub formulis generalibus ſuprà . 248 recenſitis, quando eae miſcentur, ve-uti, pacta *do vt des et facias, do et facio vt facias, acio vt des et facias, do et facio vt des.* Praeterea x his pactis compoſitis quaedam ſpecialia no-nina habent, veluti; a) *mutuum vſurarium*, ſi nutuo adiectum eſt pactum vſurarium; b) *odemeria* ſi pecunia ea lege in ipſam nauim creditur, vt ſors pereat creditori, ſi nauis in-erierit, vel in locum deſtinatum non venerit, creditor autem lucrum conuentum capiat, ſi ſalua in portum venerit; c) *depoſitum irregulare*, ſi depoſito adiectum pactum quo depoſitario vſus rei depoſitae permittitur, ſiue illud pactum ſit expreſſum, ſiue tacitum, veluti ſi ſola quan-titas depoſita; d) *pignus antichreticum*, ſi contra-ctui pignoratitio pactum antichreticum adie-ctum.

§. 314.

Ad pacta compoſita ex duobus pactis quo-ad pacta ſine re inita pertinent a) *pactum ex em-tione venditione et pacto de permutando mixtum*, ſi in emtione venditione pretium conuentum ex parte per pecuniam numeratam, ex parte per alias res ſoluendum promittitur; b) *pactum ſo-cidae*, ſi locationi conductioni pecudum pactum adie-

adiectum vi cuius conductor caſum ſuſcip
c) *colonia partiaria*, ſi in rei frugiferae locatio
conductione conuentum, loco mercedis cert
frugum partem in natura praeſtari a conducto

§. 315.

Pactorum compoſitorum ex pluribus qua
duobus pactis exemplum eſt *cambium* quod v
cant *traſſatum*, quod eſt pactum quo datur a
cui pecunia in vno loco, vt is eandem alio
loco ſiue danti, ſiue alii cuidam ſolui cure
quippe quod *ab initio quidem ſimplex pactum*
vt facias eſt inter ſoluentem in primo loco ſolution
(Remittentem) *et ibi accipientem* (Traſſanten
aſt compoſitum fit dum traſſans alii in loco ſecun
dae ſolutionis committit ſolutionem ſuo nomi
faciendam, isque hoc alienum negotium ſibi commi
ſum ſuſcipit, tum enim accedit inter traſſantem
eum cui ſolutio commiſſa (Traſſatum), *mandatum*
inter hunc et eum cui in loco ſecundae ſolutionis ſolu
tio facienda (Praeſentantem) *vero, pactum quo ſolu*
tio pecuniae a traſſante iam promiſſa iterum promitti
tur (§. 273.).

§. 316.

Si definiendum quid iuſtum ſit pacto compoſito ini
to, illud reſoluendum in ſimplicia pacta ex quibus
compoſitum eſt, et, quatenus vnum pactorum ſimplici
um per alterum non alteratur, iura et obligationes
quae ex pactis ſimplicibus compoſitum pactum conſti-
tuen-

ientibus fluunt, locum habent. Vi definitionis pacti compoſiti (§. 199.).

(b)

DE QVASI PACTIS.

§. 317.

Vltima pactorum ſpecies ſigillatim euoluenda ſunt quaſi pacta (§. 243.), de quibus generatim notandum, *quod quoties vel promiſſio, vel promiſſionis acceptatio praeſumi poteſt, toties quaſi pactum adſumi et ex eo obligatio deduci poſſit.* Per definitionem quaſi pactorum (§. 195.).

§. 318.

Quaſi pactum et pactum tacitum differunt inter ſe in eo, quod pactum tacitum per conſenſum tacitum nitatur, quaſi pactum vero praeſumto conſenſu nitatur. (§. 195.).

§. 319.

Quoties quis immediate ex lege eſt obligatus, toties obligatio ad id praeſtandum ex quaſi pacto deduci poteſt. Vi §. 195. et regulae ſecundae de conſenſu praeſumto (§. 47. *Introd.*). *E contra, quoties quis immediate ex lege non eſt obligatus, ex praeſumto eius conſenſu obligatio deduci nequit.* Tum enim regula ſecunda de conſenſu praeſumto non habet locum, immo prima obſtat quo minus hic praeſumtio locum habeat (*l. c.*). Hinc fluit, *licet quaſi pacta ſint iuris naturalis* (§. 196) *neutiquam tamen opus eſſe vt in deducendis iuribus et obli-*

obligationibus naturalibus ad ea confugiamus, ſicqu diuiſionem pactorum in pacta vera et quaſi pacta eſſ otioſam.

CHRIST. FRID. SCHOTT Diſſ. ſub titulo: *Conſenſus praeſumtus cum quaſi contractibus iure naturae proſcriptus.* Tubingae 1755.

(c)

DE ACQVISITIONE, AMISSIONE, PERSECVTIONE ET CONSERVATIONE IVRIVM ET OBLIGATIONVM PERSONALIVM MEDIATARVM EX PROMISSIONIBVS.

§. 320.

Ex dictis §. 192. et 231. conſtat nunc de *acquiſitione*, *amiſſione*, *perſecutione* et *conſeruatione* iurium et obligationum mediatarum perſonalium ex promiſſionibus agendum eſſe, quae themata hic ſigillatim explicanda ſunt.

TIT. I.

DE ACQVISITIONE IVR. ET OBLIG. PERS. MED. EX PROMISSIONIBVS.

§. 321.

Licet promiſſiones ſint duplicis generis, dum aliae mortis cauſa, aliae inter viuos fiunt, in acquiſitione iurium et obligationum ex iis tamen haec differentia non eſt attendenda, ſed potius inter eam acquiſitionem quae conſtitutiua eſt, quae fit dum exiſtere incipiunt, et *eam quae translatiua* eſt, quae ei opponi-

nitur, *diſtinguendum*. Probari enim nequit eſſe differentiam quoad acquiſitionem, promiſſio vel mortis cauſa, vel inter viuos ta, quam quoad conſtitutiuam et translatim acquiſitionem adeſſe, ex dicendis patebit.

§. 322.

Ad acquiſitionem iurium et obligationum conſtiiuam ex pactis non ſufficit promiſſionem factam eſſe, acceſſiſſe iam acceptationem neceſſe eſt, ita vt, anuam ea facta, quaelibet promiſſio reuocari poſſit, n ea facta haec reuocatio amplius fieri nequeat, i promittens ſibi facultatem reuocandi reſeruauerit. odſi vero promiſſionis acceptatio facta, nihil praeea requiritur ad horum iurium harumque obligatiom acquiſitionem, niſi vel aliter conuentum, vel pactum pactum re initum, in quo vltimo caſu actu factam aeſtationem praeceſſiſſe neceſſe eſt. Pactum enim t promiſſio acceptata (§. 268. *Intr.*), et pactum initum ſine actuali quadam praeſtatione conpi nequit (§. 203.).

§. 323.

Hinc fluit: 1) *nunquam requiri ad acquiſitionem rium et obligationum ex pactis pactum in ſcripturam ſe redactum et a paciſcentibus ſubſcriptum, niſi a conuentum;* 2) *licet pactum ſit oneroſum et imlementum eius a nulla parte ſequutum, nihilominus deſſe ius et obligationem ex pacto.*

§. 324.

Fluit porro ex dictis §. 322. *promiſſione*

 facta

facta et acceptatione ſecuta non requiri ad inducend obligationem promittenti iam innotuiſſe acceptation factam eſſe, niſi expreſſe declarauerit promiſſor quo antequam acceptatio ſibi innotuerit, obligatus e nolit.

§. 325.

Promiſſio eiusque acceptatio fieri poſſunt, vel ipſis paciſcentibus, vel a tertio cui hoc ab iis com miſſum, qui miniſter contrahendae obligation *dicitur, et in priori caſu perinde eſt ſiue inter praeſen tes viua voce, ſiue vel inter abſentes per epiſtolam promiſſio eiusque acceptatio fiat.* Nulla enim alle gari poteſt ratio cur hic actus praeciſe in pro pria perſona explicandus, et voluntatis decla ratio tam viua voce, quam per epiſtolam fier poteſt.

§. 326.

Si vel per miniſtrum contrahendae obligationis vel per epiſtolam promiſſio fit, et promiſſario promiſ ſio facta aliunde innoteſcit, eius acceptatio promit tentem non obligat. Tum enim per alium, qu non eſt miniſter contrahendae obligationis a nobis electus, promiſſionem fieri neceſſe eſt aſt talis nos obligare nequit.

§. 327.

Sequitur, abſoluta acquiſitione conſtituti ua, ea quae translatiua dicta; quae ſigillatim conſiderianda quoad *ius ex promiſſione* et quoad *obligationem ex promiſſione.* Ius alterius quod ex

pro-

omiſſione acquiſiuit acquiri poteſt per *ſucceſ-nem*, niſi ex pacto perſonali ortum (§. 204.) citra ſucceſſionem per *actum qui de praeſenti ſoluitur* (§. 392. *Introd.*) non per pactum (§. 13. *l. c.*) et talis actus eſt ceſſio, reſpectu ces-narii (§. 443. *l. c.*). Obligatio alterius ex pro-iſſione tranſire poteſt in alium itidem per *ſucceſſionem*, niſi pactum ſit perſonale (§. 204.), citra ſucceſſionem per *actum qui de praeſenti ſoluitur*, veluti delegationem, reſpectu debi-ris delegati (§. 443. *Introd.*).

TIT. II.
E AMISSIONE IVR. ET OBLIG. PERS. MED. EX PROMISSIONIBVS.

§. 328.

Quoad amiſſionem iurium et obligationum ediatarum ex promiſſionibus notandum, eam ri partim eo modo quo *in genere* iurium et bligationum amiſſio fit, partim modis huius eneris iuribus et obligationibus *propriis*. Quod tinet modos communes ea quae de amiſſione rium et obligationum immediatarum §. 188. cta ſunt hic locum habent. Vnde hic tan-m de modis amittendi huius generis iuribus obligationibus propriis agendum.

§. 329.

Pertinet vero ad modus proprios 1) *mu-us diſſenſus* ſeu *poenitentia bilateralis*, ſi nimirum

 pacto

pacto oneroſo inito, aſt implemento nondu[m] ſecuto, ambo paciſcentes in eo conſentiun[t] quod ſibi amplius ex pacto obligati eſſe nolin[t]. *Si* itaque *implemento pacti oneroſi iam ſecuto, pa ciſcentes conſentiunt in redhibitionem eius quod vn[us] ab altero accepit, nouum potius pactum ineunt, n[on] mutuo diſſenſu diſſolui prius pactum dici poteſt.*

§. 330.

Huc porro referri debet II) *perfidia in pact[o] commiſſa*, ſi nimirum alter paciſcentium con trarium eius facit, ad quod faciendum per pa ctum obligatus eſt.

§. 331.

Si in pacto oneroſo paciſcentium vnus perfidia[m] committit, alter non obligatus eſt ad praeſtandu[m] quod a ſua parte promiſit, ſicque perfidus per perfidi am amittit ius ſuum quod ex pacto habebat. Pro miſſio in pacto oneroſo facta enim ſemper in tuitu promiſſionis ab altero factae fit (§. 201.)

§. 332.

Porro III) *non ſecutum implementum*, ſi nimi rum alter paciſcentium omittit praeſtationem ad quam per pactum ſe obligauit, huc pertinet quippe quod *efficit obligationem ex pacto oneroſ[o] ab altera parte ceſſare, niſi is qui nondum impleui[t] adhuc implere velit, alteriusque non interſit imple mentum nunc demum fieri.* Ex ratione §. *praec.* adiecta.

§. 333

§. 333.

Eſt et hic IV) *poenitentiae vnilateralis in pactis* ıentio facienda.

§. 334.

Poenitentia vnilaterali iura et obligationes ex actis tolli nequeunt, niſi vel ita conuentum per pactum eſolutiuum adiectum, vel ex pacto re inito alter abet rem ipſam ei a nobis ita datam vt viciſſim det em aliam vel aliquid faciat, is vero nondum dedit el fecit quod ſe dare vel facere velle promiſit, tum enim icet poenitere et rei reſtitutionem non quidem ex pacto, ed vi iuris quod nobis immediate ex lege competit oſtulare, quo facto et alter ab obligatione ex pacto landi vel faciendi a ſua parte liberatur. Quodſi ero alter, dum rei datae reſtitutionem poſtulamus, d implendam promiſſionem promptus paratusque eſt, oenitentia non habet locum, niſi conuentum certo empore implementum fieri idque praeterlapſum eſt. Regula inde patet quod pacta obligent, nemo vero ab obligatione per ſolum ſuum diſſenſum ſe liberare poſſit. Exceptio prima vero per ſe patet, et ſecunda inde fluit, quod datio intuitu promiſſionis ab altera parte facta. Aſt tamen ex pacto repeti non poſſe rem datam inde patet quod reſtitutio non ſit promiſſa, immediatam vero ad reſtitutionem adeſſe obligationem docet §. 175.

TIT. III.
DE PERSECVTIONE ET CONSERVATIONE IVRIVM ET OBLIGATIONVM MEDIATARVM EX PACTIS.

§. 335.

Quae de perſecutione iurium et obligationum immediatarum ſupra §. 189. dicta ſunt, valent etiam de perſecutione iurium et obligationum mediatarum ex pactis, et quoad eam non niſi hoc ſpeciatim notandum 1) eum qui ius quod ex pacto oneroſo ortum per bellum perſequi vult, antea a ſua parte pactum impleuiſſe neceſſe eſſe; 2) licet detur caſus quo poenitentia in promiſſionibus locum habet (§. 334.) *et in hoc caſu tamen eum qui dedit, ſi vult, ius ſuum ex promiſſione ortum per bellum perſequi poſſe.* Ad 1) vid. §. 332. Ad 2). Licet enim poenitere poſſit in dato caſu qui dedit, ad hunc iuris ſui vſum tamen cogi nequit.

§. 336.

Similiter et ea quae de conſeruatione iurium et obligationum immediatarum dicta ſunt §. 190. hic locum habent, praetereaque conſeruatio iurium et obligationum ex pactis ſpeciatim fit per 1) *pacti renouationem*, quae fit dum paciſcentes pacti ad tempus initi fine inſtante, inter ſe conueniunt quod pactum continuare velint, quae renouatio vel expreſſe, vel tacite fieri poteſt; 2) *poenam conuentionalem* dum

dum is qui per pactum ſe obligauit promittit quod implemento non ſecuto certam poenam ſubire velit.

(B)

DE IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS MEDIATIS EX LAESIONIBVS.

REGNER ENGELHARD *Verſuch eines allgemeinen peinlichen Rechts aus den Grundſätzen der Weltweisheit und beſonders dem Recht der Natur hergeleitet.* Franckf. und Leipz. 1756. 8.

§. 337.

Iura et obligationes perſonales mediatas ex promiſſionibus, excipiunt iura et obligationes perſonales mediatae ex laeſionibus (§. 191.). Vt vero haec ampliſſima de laeſionibus doctrina in ordinem redigatur ſigillatim 1) *generalia de laeſionibus principia ſunt praemittenda;* 2) *iura ipſa ipſaeque obligationes perſonales quae ex laeſionibus oriuntur pro laeſionum diuerſitate euoluendae;* 3) *acquiſitio, amiſſio, perſecutio et conſeruatio iurium et obligationum huius generis docenda.*

(a)

GENERALIA DE LAESIONIBVS PRINCIPIA.

§. 338.

Generalia de laeſionibus principia commode reduci poſſunt ad has quae ſequuntur do-

ctrinas, de 1) *laeſionis definitione et diuiſionibus*; 2) *ſubiecto et obiecto laeſionis*; 3) *laeſionum communibus.*

TIT. I.
DE LAESIONIS DEFINITIONE ET VARIIS EIVS DIVISIONIBVS.

§. 339.

Laeſio, vt conſtat ex introductione §. 175. eſt, ſi *late* ſumitur, iuris cuiuscunque alterius violatio, in *ſenſu ſtrictiori* vero violatio iuris perfecti alterius, ſeu, actio officiis erga alios perfectis contraria. Hic de laeſione in ſtrictiori et proprio ſignificatu agendum.

§. 340.

Laeſio cum ſit actio officiis erga alios perfectis contraria, a laeſionibus differunt 1) *violatio officiorum erga nos et erga Deum;* 2) *violatio officiorum erga alios imperfectorum;* 3) *ſolae cogitationes quae in actus externos non erumpunt.* An et quomodo vero delicta et laeſiones differant infra in iurisprudentia naturali ciuili euoluendum.

§. 341.

Licet vero violatio officiorum erga nos ad laeſiones referri nequeat, de ea tamen, cum ad cognata laeſionum omnino referri debeat, hic notandum 1) *quot modis officia erga nos violari poſſint, ex iis quae de his officiis ſupra* §. 3. *ſeqq. dicta*

cta ſunt facile deduci poſſe; 2) *ex violatione bo-
m officiorum erga nos nullum ius nullamque obli-
tionem inter homines in ſtatu naturali viuentes oriri,
diſceſſeris a malo exemplo quod aliis per tales vio-
tiones praebemus, de quo infra.* Alios nobis-
um in ſtatu naturali viuentes enim talis actio
ullo modo concernit, ſi diſceſſeris a malo
xemplo.

§. 342.

Laeſionis diuiſiones quod attinet ad eas
ertinet I) diuiſio eius in laeſionem *imputabi-
m* et *non imputabilem*, prout actio per quam
lter laeſus eſt imputari poteſt, vel non. Lae-
ones imputabiles vel *doloſae*, vel *culpoſae* ſunt,
rout vel per dolum, vel per culpam com-
niſſae ſunt. Non imputabilium laeſionum
tidem duae dantur ſpecies, veluti laeſiones
aſuales, caſu factae, *neceſſariae* quae fiunt in con-
eruatione et perſecutione iurium per media
iolenta, veluti dum nos defendimus, puni-
nus, retorſione vtimur, in neceſſitatis fauore
onſtituti ſumus, per bellum ius noſtrum per-
equimur. Aſt, cum laeſiones non imputabi-
es proprie ne quidem laeſiones appellandae,
ic ſemper loquor de laeſionibus imputa-
ilibus.

§ 343.

Sequitur II) laeſionum diuiſio in *veras laeſio-
nes*, quae non tantum culpa committi pos-

 ſunt,

ſunt, et *quaſi laeſiones* quae non niſi culpa committi poſſunt.

§. 344.

Sunt etiam III) laeſiones vel *communes* quae a quolibet, qui in genere laedere poteſt, committi poſſunt, et *certis perſonis propriae*, quae certum hominum ſtatum praeſupponunt. Quum itaque laeſiones poſterioris generis ſint contra officia certis perſonis propria, de iis in iure perſonarum agendum.

§. 345.

Laeſiones diuidi poſſunt IV) in laeſiones quas appellare liceat *generales*, quae per ſolum modum, quo violatio officiorum perfectorum erga alios facta, in eſſe ſuo determinantur, et *ſpeciales*, quae per officii quod per eas violatur determinationem in eſſe ſuo determinantur.

§. 346.

Sunt porro V) laeſiones vel tales quae plene in actum deductae, vel non. In priori caſu dicuntur laeſiones *conſummatae* ſeu *ſimpliciter laeſiones*. In ſecundo vero *conatus laedendi*, qui dicitur *laeſio attentata*, ſi laedens praeparatoria laeſionis tantum exercuit, *inchoata* vero, ſi laedens in ipſo actu laedendi iam fuit conſtitutus, aſt eum non abſoluit, id quod vario modo contingere poteſt.

TIT.

TIT. II.

DE SVBIECTO ET OBIECTO LAESIONVM.

§. 347.

Subiectum laeſionum appello eos qui laedunt t laeduntur, ſicque laedentes et laeſos.

§. 348.

Laedere poteſt quilibet homo viuens, qui in genere : in ſpecie eo tempore quo laedit ſanae rationis vſum abet, niſi is qui in ſpecie tempore laeſionis commiſſae ſu rationis ſanae deſtitutus fuit ſponte talis factus. .oquor enim de laeſionibus imputabilibus, ad mputationem vero requiritur agentem ſanae ationis vſum habere dum agit (§. 84. *Introd.*).

§. 349.

Licet itaque *laedere nequeant* 1) *animalia;* 2) *omines ſanae rationis vſu in genere et in ſpecie temore laeſionis commiſſae deſtituti, damnum tamen dare oſſunt* (§. 175. *Introd.*), vnde hac occaſione de lamno ab animalibus dato quaedam monenda, :um de damno ab hominibus ſanae rationis vſu deſtitutis dato, infra in iure perſonarum lemum agendum.

§. 350.

Si animal non inſtigatum damnum dedit ſua ſponte, illud aut dominum habet, aut non. In poſteriori aſu damni ipſius reparatio et praeſtatio eius quod intereſt non habet locum, ſed damnum ſentit is cui illatum,

tum, quoniam tum nemini imputari poteſt haec actio. *In priori caſu vero aut dominus in cuſtodiendo culpam vel dolum commiſit, aut non. Si prius obligatus eſt ad damni ipſius reparationem et praeſtationem eius quod intereſt, non vero ſi poſterius, quo caſu potius idem obtinet quod de eo caſu, quo animal dominum non habet, dictum.* Si enim prius domino imputari poteſt damnum, non ſi poſterius. *Si vero animal inſtigatum damnum dedit, aut ipſe ille cui damnum datum inſtigauit illud, aut tertius, aut aliud animal. In primo caſu inſtigans damnum ſibi datum ferre debet*, cum in culpa ſit (§. 186.). *In ſecundo caſu tertius qui inſtigauit damnum ipſum reſarcire et id quod intereſt praeſtare debet*, ei enim imputari poteſt. *In tertio caſu illud animal quod inſtigauit dominum habet, vel non. Si dominum non habet, damnum ferre debet is in cuius perſona accidit. Si vero dominum habet, quando is in cuſtodiendo animali quod inſtigauit aliud culpam vel dolum commiſit, damnum ferre debet ſi ei datum, veluti ſi animal inſtigans ab inſtigato corruptum vel necatum, et ſi alteri datum illud reſarcire debet, quando vero in cuſtodiendo eo dolum vel culpam non commiſit, qui damnum accepit illud ferre debet.* Pro hac diuerſitate enim domino imputari poteſt, vel non, damnum ab animali datum eſſe.

10. CLAM. AVG. *von dem* BVSCHE Diſſ. ſub titulo: *dominum ex facto animalis praeter culpam non obligari. Cap. I.* Lipſ. 1729.

§. 351.

§. 351.

Porro de ſubiecto laedente notandum illud el eſſe vnicam perſonam ſiue phyſicam, ſiue ıoralem, vel plures perſonas quae quoad vniım laeſionem pro laedentibus habendae. Hae lures perſonae vero vel coauctores laeſionis ınt (§. 71. *Introd.*) et dicuntur *complices*, vel on. In vltimo caſu diſtinguendum inter perɔnas *laedentes principales*, quales ſunt auctor ɛu coauctores laeſionis, et *minus principales*, quaɛs ſunt ſocii (§. 72. *l. c.*), et quibus, licet ſoii proprie non ſint (§. 78. *l. c.*), imputari taıen poteſt laeſionem eſſe factam (§. 85. *l. c.*), cet vulgo hae diuerſae perſonae minus prinipales a ſe inuicem diſtingui non ſoleant.

§. 352.

Alterum ſubiectum laeſionum eſt ſubiectum aeſum, de quo notandum 1) *illud eſſe omnes homines, non viuentes ſolum, ſed et mortuos* (§. 25.); 2) *laeſum vel* eſſe *immediate laeſum*, qui malum ex laeſione ortum ſentit per ſe, vel *mediate aeſum*, qui illud per conſequentiam ſentit.

§. 353.

Laeſionum obiectum ſunt ipſa officia erga lios perfecta quae violantur, ſicque pro diuerſitate obiecti laeſiones quas appello ſpeciales (§. 345.) ſunt, vel laeſiones quoad *officia abſoluta*, vel laeſiones quoad *officia hypothetica*. Laeſiones prioris generis vero laeſiones vel quoad

ani-

animam, vel quoad *corpus*, vel quoad *ſtatum externum* ſunt (§. 28.).

TIT. III.
COMMVNIA LAESIONVM.

§. 354.

Ad communia laeſionum pertinet I) *poena laedentis* de qua notandum 1) *in ſtatu naturali non dari aliam praeter eam quam laeſus vi iuris puniendi connati* (§. 182. et 537. *ſeqq. Introd.*) *immittit laedenti*, hincque a) *non dari poenas certas in ſingulas laeſionum ſpecies ſtatutas* (§. 54. n. 3.) b) *dari laeſiones ſine poena, ſi ſcilicet futura laeſio non metuenda* (§. 540. n. 2.); 2) *poenam locum iam habere, licet delictum nondum conſummatum, ſed tantum attentatum ſit* (§. *cit.* n. 1.); 3) *ſi vna laeſio a pluribus laedentibus facta non ſolum perſonas principales, ſed et minus principales poena affici poſſe* (§. 541. *l. c.*); 4) *nonſolum immediate laeſum ſed et mediate laeſum punire poſſe laedentem* (§. 540. n. 1.).

10. LVTI *Harmonia iuris naturalis et criminalis in doctrina de imputatione criminis attentati.* Lipſ. 1734.

§. 355.

Finis poenae quam laeſus laedenti immittit in ſtatu naturali eſt ſecuritas laeſionis ab ipſo laedente atque aliis, laeſo atque aliis metuendae, ſicque partim emendatrix, partim exemplaris, et licet laedens mortuus non ſimpliciter ceſſat poena (§. 182. *Introd.*).

§. 356.

§. 356.

Porro ad communia laeſionum referri de-
:t II) *defenſio* de qua repetenda quae §. 529.
ſqq. Introd. dicta ſunt.

§. 357.

Sequitur III) *ſatisfactio laeſi per laeſionem*, qua
ficit laedens damnum ex delicto ortum ceſſare.

§. 358.

Satisfactio laeſi per delictum itaque 1) *tam dam-*
ipſius reparationem quam praeſtationem eius quod
tereſt ſub ſe continet (§. 181. *Introd.*) 2) *quoad*
ım perinde eſſe ſiue laeſio ſit doloſa, ſiue culpoſa; 3)
cum non habet niſi laeſio ſit conſummata; 4) *com-*
lices correaliter obligati ſunt ad eam, minus princi-
ales laedentes non niſi eatenus quatenus in lucro hae-
:nt; 5) *dari laeſiones ſine ſatisfactione, quoties ni-*
iirum laeſione commiſſa nec immediate, nec mediate
ıeſus ſupereſt qui eam petere poteſt; 6) *ſi talis ſatis-*
ıctio poſſibilis per quam laeſus in priorem ſtatum re-
ucitur ita facienda, ſi vero talis impoſſibilis per
equipollens fieri debet; 7) *poena et ſatisfactio inter*
: differunt tam ratione finis quam effectus, nec ceſſante
oena ceſſat ſatisfactio, prout vice verſa ſatisfactio-
e ceſſante poena non ceſſat.

§. 359.

Eſt et hic IV) de *gradu moralitatis laeſionum*
gendum, hoc eſt, quae laeſio in ſe conſiderata
ro maiori, quae pro minori habenda, deter-
ıinandum eſt.

§. 360.

§. 360.

In laeſionibus doloſis gradus moralitatis ex gradu libertatis laedentis in agendo ſeu, quod idem eſt, ex quantitate imputationis (§. 313. Introd.) et ex damni ex ea vel actu orti, vel quod ex ea aeque facile oriri potuiſſet, ac ortum non eſt, magnitudine aeſtimendus, ita vt, ſi duarum laeſionum altera maiori libertate commiſſa quidem aſt damnum leuius, altera vero ex qua grauius damnum oritur libertate minori commiſſa, ea ex qua grauius damnum oritur pro maiori habenda, ſi vero duae laeſionum ſpecies quoad libertatem aequales quoad damnum inaequales, ea ex qua maius damnum oritur, vel aeque facile oriri potuiſſet, ac non ortum eſt, quam ex altera, pro maiori habenda, ſique tandem duae laeſionum ſpecies quoad damnum aequales quoad libertatem vero inaequales, maiori libertate commiſſa laeſio pro maiori altera habenda. Cum enim doloſe laedens vult laeſionem, quo magis vult eam, ſicque quo maior libertas eſt, eo maior ipſa laeſio eſt. Aſt cum damnum ex laeſione ortum ſit id quod laeſionem malam actionem eſſe efficit, etiam ad damni magnitudinem reſpiciendum, et quidem ad eam magis quam ad libertatem.

§. 361.

In laeſionibus culpoſis vnice ex gradu commiſſae culpae (§. 313. Introd.) et non ſimul ex damni magnitudine gradus moralitatis laeſionis aeſtimari debet. Culpoſe laedens nec ſcit quod laedat, nec vult laede-

:dere (§. 311. n. 1. *Introd*), hinc damni quod qui nec ſcit, nec vult, nulla ratio habenda.

§. 362.

Progredior V) ad *mitigantia et exaſperantia* *[l]eſionum.* Licet enim nulla certa poena in lae- [si]ones ſtatuta per leges naturales, nihilominus [m]itigantia et exaſperantia quoad laeſiones ab [h]ominibus in ſtatu naturali viuentibus com- [m]iſſas, ſic concipi poſſunt, quod *mitigantia* *[la]eſionum* ſint circumſtantiae extraordinariae, [q]uae efficiunt laeſionem in caſu dato poenam [g]radu minorem ea, quae iis abſentibus locum [h]aberet, infligendam eſſe: *exaſperantia laeſio-* *[n]um* vero circumſtantiae extraordinariae, quae [e]fficiunt laeſionem in caſu dato poenam gradu [m]aiorem ea, quae iis abſentibus locum habe- [r]et, infligendam eſſe. Tam mitigantia quam [e]xaſperantia vero vel *generalia*, vel *ſpecialia* [ſ]unt, prout vel quoad omnes laeſiones, vel quoad hanc ſeu illam ſpeciem tantum talia ſunt. Hic tantum de prioribus agendum.

§. 363.

Doctrina de gradu moralitatis laeſionum et doctri- *na de mitigantibus et exaſperantibus laeſionum in eo* *quidem conueniunt quod vtraque poenae determina-* *tionem reſpiciat, aſt differunt tamen in eo inter ſe,* *quod ſecundum priorem definiendum quae laeſiones in* *ſe conſideratae minorem, quae maiorem poenam me-* *reantur, ſecundum poſteriorem vero quae poena lae-*

ſione in concreto ſecundum circumſtantias in dato caſu obuias conſiderata locum habeat. Per §. 360. *et* 362.

§. 364.

Ad exſperantia generalia referri debent omnes circumſtantiae extraordinariae quae laeſionis futurae metum augent, ad mitigantia generalia vero omnes circumſtantiae extraordinariae quae hunc metum minuunt. Id quod ex fine poenarum §. 355. deducendum.

§. 365.

Hinc fluit *ad exſperantia generalia pertinere numerum laeſionum ab eodem laedente iam antea commiſſarum, ad mitigantia generalia vero occaſionem ad laedendum inuitantem.*

§. 366.

Ad laeſionum communia VI) referri debet *doctrina de indiciis.* Sunt vero *indicia* id ex quo probabiliter colligi poteſt vel laeſionis exiſtentia, vel quis ſit laedens. *Indicia* itaque *partim eo tendunt vt inueſtigetur an adſit laeſio, partim quis laeſerit ſiue vt laedens principalis, ſiue vt minus principalis;* ſuntque indicia vel *communia*, vel *particularia*, prout vel quoad omnes laeſiones talia ſunt, vel non: nec non vel *remota*, vel *proxima*, prout vel minorem, vel maiorem probabilitatem operantur.

§. 367.

Tandem et hic VII) de *corpore*, vt aiunt, *deli-*

delicti ſeu *laeſionis* monendum, mox corpus laeſionis dici ipſum laedentem, mox id quod per laeſionem vel violatum vel productum, veluti res furto ablata, corpus occiſum, partus ex illicito coitu natus, mox exiſtentiam actionis per quam laeſio commiſſa, qui vltimus ſignificatus eſt optimus. Vt itaque *inquirere in corpus laeſionis* ſit inquirere in veritatem actionis per quam laeſio commiſſa, tumque *conſtet de corpore laeſionis*, ſi conſtat actionem laeſionem inuoluentem commiſſam eſſe, nec non *ad corpus laeſionis in qualibet laeſionis ſpecie requiratur adeſſe omnes determinationes quae eam laeſionis ſpeciem in eſſe ſuo determinant, ſingulaeque has determinationes ad corpus laeſionis pertineant.*

(b)

DE IPSIS IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS PERSONALIBVS MEDIATIS QVAE EX LAESIONIBVS ORIVNTVR.

§. 368.

Abſolutis generalibus de laeſionibus principiis, nunc ſequuntur ipſa iura, ipſaeque obligationes perſonales mediatae, quae ex iis oriuntur, quaeque pro diuerſitate laeſionum differunt (§. 337.). Quum vero omnes laeſiones ad veras et quaſi laeſiones (§. 343.) reduci poſſint, pro hac laeſionum diuerſitate de 1) *veris*; 2) *quaſi laeſionibus* agendum.

(A)

DE LAESIONIBVS VERIS.

§. 369.

Verae laeſiones differunt inter ſe variis mo dis, praeſertim etiam in eo, quod aliae ſin *generales*, aliae *ſpeciales*. De his laeſionum ſpe ciebus itaque agendum.

(a)

DE LAESIONIBVS VERIS GENERALIBVS

§. 370.

Laeſiones huius generis ſunt 1) *vis*; 2) *fal ſum*, quarum quaelibet peculiarem meretu explicationem.

TIT. I.

D E V I.

§. 371.

Vis, quando ſumitur pro laeſione, eſt lae ſio quae alteri libertatem in agendo vel reſtrin gendo, vel tollendo committitur, in laeſionem quandum ſpecialem non incidens.

§. 372.

Hinc fluit 1) *vim defenſiuam ad ſpecies vi pro laeſione ſumtae referri non poſſe*; 2) *non ſemper quando laeſio vi adhibita commiſſa eam vim appel landam eſſe.*

§. 373.

Si quis alterum per metum iniuſtum ad agendum com-

ompellit, *nec tamen haec laeſio in laeſionem quan-*
'am ſpecialem incidit, *ea ad hanc laeſionem genera-*
:m tanquam ſpecies eius referri debet. Licet enim
)er metum libertas non tollatur reſtringitur
amen per eum (§. 55. *et* 321. *Introd.*).

§. 374.

De vi notandum quoad 1) *corpus huius lae-ſionis*, ex §. 372. *et* 373. dictis per ſe conſtare quid ad eam requiratur; 2) *defenſionem*, eam hic ſine dubio locum habere, nec dari ſpecialia quoad defenſionem contra hanc laeſionem notanda; 3) *indicia*, non niſi generalia indicia hic locum habere; 4) *poenam ipſam*, circa eam quae ſpeciatim notanda deeſſe; 5) *exaſperantia et mitigantia*, dari omnino ſpecialia exaſperantia et mitigantia, e. g. vim armis, ſeu coadunatis hominibus exercitam eſſe, ad exaſperantia huius laeſionis pertinere; 6) *ſatisfactionem*, eam tum demum locum habere, ſi ex vi illata laeſus damnum ſenſit, quod ſaepius deeſt, tumque ceſſare ſatisfactionem.

TIT. II.

DE FALSO.

§. 375.

Falſum eſt laeſio quae fit immutando veritatem, in laeſionem quandam ſpecialem non incidens.

Dicatur de ſtellionatu quem a falſo hic diſtingu non eſt opus.

§. 376.

Hinc patet 1) *per omnem veritatis immutationem falſum non committi; nec licet* 2) *facta ſit veritatis immutatio alteri damnoſa, ſicque ea laeſionem inuoluat, laeſionem talem ſemper ad falſi ſpecies referri poſſe;* 3) *falſum tam committendo quam omittendo committi poſſe.*

§. 377.

De falſo notandum quoad 1) *corpus huius laeſionis* ex §. praec. dictis per ſe patere quid ad eam requiratur; 2) *defenſionem*, eam quoad hanc laeſionum ſpeciem concipi non poſſe; 3) *indicia;* 4) *poenam ipſam;* 5) *exaſperantia et mitigantia*, non dari quoad haec communia laeſionum quae huic laeſionis ſpeciei propria ſunt; 6) *ſatisfactionem*, eam hic ſemper locum habere, cum ad corpus huius laeſionis requiratur damnum eſſe datum.

(b)

DE LAESIONIBVS VERIS SPECIALIBVS.

§. 378.

Abſolutis laeſionibus generalibus, progredior ad ſpeciales (§. 369.) quarum ingens numerus in ordinem redigi poteſt ſeparando a ſe inuicem laeſiones veras ſpeciales officiis erga alios perfectis 1) *abſolutis;* 2) *hypotheticis* contrarias.

(α)

(α)

DE LAESIONIBVS VERIS SPECIALIBVS OFFICIIS ERGA ALIOS ABSOLVTIS CONTRARIIS.

§. 379.

Quum officia erga alios abſoluta vel animam, vel corpus, vel ſtatum externum concernant (§. 28.), ſigillatim hic de laeſionibus huius generis quoad 1) *animam;* 2) *corpus;* 3) *ſtatum externum* agendum.

TIT. I.

DE LAESIONIBVS OFFICIIS ABSOLVTIS RATIONE ANIMAE CONTRARIIS.

§. 380.

Laeſio quoad animam toties fit, quoties quis animae perfectione, qua inſtructus eſt, priuatur, diciturque generali nomine *corruptio animae*, quae vel *cognoſcitiuam*, vel *appetitiuam* facultatem concernit.

§. 381.

Quoad facultatem animae cognoſcitiuam itaque *corruptio animae fit dum alterum perfectione quadam, qua quoad facultatem cognoſcitiuam inſtructus eſt, priuamus, vel in totum, vel ad certum tempus, id quod variis modis fieri poteſt.*

§. 382.

Nec minus ex corruptionis animae definitione

tione patet *eam quoad facultatem animae appetitiuam fieri toties, quoties actione quadam noſtra ſiue omiſſiua, ſiue commiſſiua efficimus vel directo, vel per indirectum, veluti per exemplum, alterum perfectione quadam quoad facultatem appetitiuam priuari, ſicque quilibet ſocius laeſionis et ipſum auctorem laeſionis laedit quoad facultatem appetitiuam.*

§. 383.

Ad laeſiones quoad animam referri nequit 1) *ſi alterum nouis perfectionibus quoad vtramque animae facultatem non inſtruimus, cum tamen in poteſtate noſtra hoc ſit;* 2) *ſi fallimus alterum, id eſt, inducimus vt verum pro falſo habeat.* In priori caſu enim officia perfecta non violantur (§. 339.). In poſteriori caſu vero pro falſo (§. 375.) potius talis laeſio habenda.

§. 384.

Quoad animae corruptionem notandum ratione 1) *corporis laeſionis*, quid ad illud requiratur ex dictis §. 381. *ſeqq.* facile conſtare; 2) *defenſionis violentae*, eam et quoad has laeſiones locum habere, ſi is qui laedere vult vim adhibet, cum vero ſaepiſſime ea non adhibeatur in laeſionibus huius generis, et ſaepe hic defenſio violenta ceſſat; 3) *indiciorum* 4) *poenae ipſius*; 5) *eorum quae ad exaſperantia et mitigantia pertinent*, nihil quod de his communibus hic in ſpecie notandum adeſſe; 6) *ſatisfactionis*, eam fieri dum laeſus praeſtat id quod intereſt, tam

imme-

nmediate quam mediate laeſo, qualis hic eſt
. g. is cuius poteſtati quoad animam cor-
uptus ſubiectus eſt.

TIT. II.

DE LAESIONIBVS OFFICIIS ABSOLVTIS RATIONE CORPORIS CONTRARIIS.

§. 385.

Ad laeſiones huius generis referri debent
1) *homicidium*, quod eſt factum quo homo alterum hominem vita priuat.

§. 386.

Licet variae concipi poſſint ſpecies homicidii, tam pro diuerſitate modi quo committitur, quam perſonae in quam committitur, hae ſpecies tamen hic negligi poſſunt, cum praeſertim non niſi ratione gradus moralitatis differant. Hic itaque de homicidio in genere agendum, abſtrahendo ab iis quae ſingulis ſpeciebus propria ſunt.

§. 387.

De homicidio notandum quoad 1) *corpus laeſionis*, ad illud requiri ex facto laedentis, non ex cauſis accidentalibus, mortem eſſe ſecutam; 2) *defenſionem*, eam ſine dubio, caeteris paribus, aggreſſorem occidendo fieri poſſe; 3) *indicia ſpecialia*, talia quidem non plane deeſſe, aſt potiſſimum ex circumſtantiis in caſu dato obuiis

oriri; 4) *poenam ipſam;* 5) *exaſperantia et miti-gantia;* 6) *ſatisfactionem*, haec tria communi hic plane ceſſare, niſi, quoad ſatisfactionem adſit mediate laeſus cui praeſtandum id quod intereſt alterum eſſe occiſum.

§. 388.

Sequitur II) *corruptio corporis*, quae eſt factum quo alterius corpori, ſalua vita, damnum infertur. *Fit* itaque *corruptio corporis luxando frangendo, vulnerando.*

§. 389.

De corruptione corporis notandum quoad 1) *corpus delicti*, conſtare de eo ſi certum eſt per factum laedentis, non laeſi, nec caſu corruptionem eſſe factam; 2) *defenſionem*, et eam, caeteris paribus, vsque ad necem aggreſſoris extendi poſſe; 3) *indicia ſpecialia*, de iis valere quae de indiciis ſpecialibus homicidii dicta ſunt; 4) *poenam ipſam;* 5) *exaſperantia et mitigantia*, ſpecialia hic notanda non obuenire; 6) *ſatisfactionem*, eam ſub ſe comprehendere a) *pecuniam doloris;* b) *membri corporis per corruptionem inutilis redditi aeſtimationem* et c) *eius quod intereſt praeſtationem.*

§. 390.

Quoad corpus laeſio fit per III) *ſtuprum violentum;* IV) *raptum.* Eſt vero *ſtuprum violentum* coitus a parte altera coeuntium ſponte non

on commiſſus, cum itaque tam vis quam me-
is ſpontaneitatem in agendo tollant, *ſtuprum* *violentum eſt ad quod coeuntium alter, vel per vim, vel per metum adactus.* *Raptus* eſt abductio et retentio foeminae honeſtae cum ea coeundi cauſa, citra eius, vel eorum quibus parere debet, conſenſum facta.

§. 391.

Quoad ſtuprum violentum et raptum hic notandum, ratione 1) *corporis laeſionis*, ad illud requiri quidem quoad ſtuprum violentum coitum, non vero quoad raptum; 2) *defenſionem*, eam et hic locum habere, ita vt in ſpecie contra ſtuprum violentum cum nece aggreſſoris defenſio licite fiat; 3) *indiciorum;* 4) *poenae ipſius;* 5) *aggrauantium et mitigantium*, nihil ſingulare hic locum habere; 6) *ſatisfactionis*, eam fieri vel ducendo ſtupratam per vim, ſeu raptam, ſi velit, in vxorem, vel per pecuniam.

IO. BALT. ELEND *de eo quod pro pudicitia per ius naturae licet.* Helmſt. 1702.

TOB. IAC. REINHARD Pr. *num defenſio pudicitiae cum inuaſoris nece licita ſit.* Erf. 1734.

TIT. III.

DE LAESIONIBVS OFFICIIS ABSOLVTIS RATIONE STATVS EXTERNI CONTRARIIS.

§. 392.

Laeſionum per quae officia abſoluta erga alios

alios ratione ſtatus externi laeduntur, praeci
pua ſpecies ſunt iniuria, quae exiſtimationem
concernens laeſio eſt, licet et aliae laeſionum
huius generis ſpecies, quae ea quae vſui no
ſtro inſeruiunt, vt et amicos et inimicos con
cernunt, concipi poſſint.

§. 393.

Iuiuria eſt quaelibet actio quae efficere
poteſt exiſtimationem et famam noſtram fieri
malam, ſaltem ſecundum opinionem hominum.

§. 394.

Iniuria alter affici poteſt tam per *contem
tum*, ſi aliquid omittitur quod non omitti ho
nor ei debitus requirit, quam per *contumeliam*
ſi aliquid committitur quo alterius exiſtimatio
laeditur. *Contemtus et contumelia* itaque *nonſo-
lum in eo differunt quod contemtus oriatur ex actio-
nibus omiſſiuis, contumelia vero actiones commiſſiua
requirat, ſed et contemtus in ſpecie honorem, non au-
tem contumelia concernat.*

§. 395.

Iuiuria quae eſt contumalia vel verbis, vel
factis infertur, indeque vel *verbalis*, vel *realis* eſt.

§. 396.

Animus iniuriandi eſt volitio qua volumus
alterius exiſtimationem per actionem quandam
noſtram laedi, de quo notandum a) *animum in-
iuriandi quidem adeſſe debere vt iniuria pro laeſione
dolo-*

loſa haberi poſſit, aſt ad omnem iniuriam animum edendi non requiri, cum etiam dentur culpoſae in-riae; 2) in iniuriis verbalibus nec veritatem dicto-um, nec prouocationem ad alios, qui ante nos idem xerunt, liberare ab animo iniuriandi, ſicque iuris aturalis eſſe quod dicitur in trito: Wehrmann ha-en hilft nicht, *vt et*, veritas conuitii non libe-at ab animo iniuriandi.

§. 397.

Quoad iniurias notandum ratione 1) *corpo-is laeſionis*, ad id ſufficere exiſtimationem alte-ius eſſe laeſam; 2) *defenſionem*, eam quoad ver-bales iniurias aliter fieri non poſſe, quam effi-ciendo calumiatori fidem non haberi, ſicque retorſionem iniuriarum medium ſe defendendi contra iniurias non eſſe; 3) *indiciorum; 4) poenae ipſius; 5) eorum quae ad exaſperantia et miti-gantia pertinent*, nihil quod ſingulare eſt hic ob-uenire; 6) *ſatisfactionis*, ad eam ſufficere aliquid fieri, quod ex opinione hominum pro ſatisfa-ctione habetur, licet reuera ſatisfactio non ſit.

(β)

DE LAESIONIBVS OFFICIIS HYPOTHE-CIS CONTRARIIS.

§. 398.

Laeſionum officiis hypotheticis contraria-rum de quibus nunc agendum (§. 378.) tot dantur ſpecies, quot ſunt officia hypothetica per-

perfecta (§. 39 *ſeqq.*). Ex iis itaque quae de obli-gationibus ſingulis ſpeciebus iuris in re reſpon-dentibus et obligationibus perſonalibus tam immediatis, quam ex promiſſionibus oriundis hinc inde dicta ſunt, ſingulae laeſionum ſpecies quae huc pertinent, facili negotio deduci poſſunt. Aſt, quum omnes hic recenſere ni-mis prolixum, immo ſuperfluum, foret, non niſi earum mentio facienda, quae ſpeciale ha-bent nomen, quarum aliae officiis hypothe-ticis *quoad ius in re*, aliae officiis hypotheticis *quoad ius ad rem* contrariae ſunt.

TIT. I.

DE LAESIONIBVS OFFIC. ERGA ALI-OS HYPOTH. QVOAD IVS IN RE CONTRARIIS.

§. 399.

Ad huius generis laeſiones quae ſpeciale habent nomen pertinet I) *furtum*, quod eſt rei alienae mobilis absque vi metuue perſonae illa-to, inuito domino, ea intentione vt auferentis fiat, facta oblatio.

§. 400.

De furto notandum quoad 1) *corpus laeſio-nis*, ex ipſa definitione facile conſtare quid ad illud requiratur; 2) *defenſionem*, eam, ſi fur in actu furandi deprehenditur, caeteris paribus, cum nece furis fieri poſſe; 3) *indicia ſpecialia*, ea

hic

: non deeſſe, veluti ſi quis habet rem furto latam; 4) *poenam ipſam*, de ea in ſpecie monendeeſſe; 5) *exaſperantia et mitigantia*, ſi e. g. vis bus illata in furandi actu merito exaſperanm eſſe paenam, ſi vero fur poenitentia duus, antequam conſtat furem eſſe, rem furto latam reſtituit, eam mitigandam eſſe; 6) *ſatisctionem*, eam per rei ablatae reſtitutionem fieri.

§. 401.

Progredior II) ad *rapinam*, quae eſt vis pernae illata per quam res aliena mobilis ea tentione, vt vim inferentis fiat, extorquer. *Differunt* itaque *furtum et rapina non in eo od furtum ſine omni vi committatur, rapina vero r quamlibet vim, ſed potius in eo, quod in rapina r perſonae inferatur, non vero in furto.*

§. 402.

De rapina notandum quoad 1) *corpus huius eſſionis*, metum qui ex minis oritur non ſufficre, licet metus ex praeuia vi ortus ſufficiat, eque non ſolum vim ablatiuam, ſed et comilſiuam rapinam conſtituere (§. 323. *Introd.*);) *defenſionem*; 3) *indicia*; 4) *poenam ipſam*; 5) *aſperantia et mitigantia*; 6) *ſatisfactionem*, nihil uod hic ſingulare et notatu dignum obuenire.

§. 403.

Sequitur III) *concuſſio*, quae tum facta ſi per etum ex ſolis minis ortum pecunia aliaue res obilis extorquetur.

§. 404.

§. 404.

Conueniunt itaque *furtum*, *rapina et concuſſio in eo quod laedens per has laeſiones quod alterius eſt ſibi attribuat, aſt differunt in modo quo hoc fit, dum in furto ſine vi metuue perſonae illato, in rapina et concuſſione vero per vim metumue perſonae illatum fiat, et quidem in rapina per vim metumue ex praeuia vi ortum, in concuſſione per metum ex ſolis minis ortum.*

§. 405.

Sunt etiam laeſiones huius generis IV) *inuaſio* et V) *vſurpatio.* Fit vero *inuaſio*, ſi dominium rei alienae immobilis, et *vſurpatio*, ſi dominium rei alienae incorporalis, exercemus, verum dominum vi excludendo a dominii ſui exercitio.

§. 406.

Licet itaque *hae laeſiones cum furto, rapina et concuſſione in eo conueniant, quod rem alienam ita concernant, vt laedens illicito modo verum dominum dominio ſuo priuare intendat, differunt tamen tam inter ſe, quam a furto, rapina et concuſſione in eo, quod res circa quae hae laeſiones verſantur ſint diuerſae qualitatis.* Per comparationem definitionum.

§. 407.

Quoad inuaſionem et vſurpationem ratione communium plurium laeſionum talia, quae hic ſpeciatim annotari merentur, deſunt.

§. 408.

Tandem et huc referri debent VI) *damnum* [in]*iuria datum*; VII) *illicitus rei alienae vſus*; VIII) [ſp]*olium nudum*; IX) *turbatio poſſeſſionis*. Eſt vero [d]*amnum iniuria damnum*, omnis laeſio rei ſubſtan-[ti]am, *illicitus rei vſus*, omnis laeſio rei vſum, *ſpo-*[li]*um nudum*, omnis laeſio ius poſſidendi, *turbatio* [po]*ſſeſſionis*, omnis laeſio ius poſſeſſionis, con-[c]ernens.

§. 409.

Damnum iniuria datum itaque *tam circa rem* [a]*lienam, quam etiam circa rem noſtram, veluti ei pe-*[ri]*culoſum ignem ſubiiciendo, locum habet. Idem di-*[c]*endum de illicito rei vſu, quae laeſio tum circa pro-*[p]*riam rem locum habet, ſi vſus eius alteri conceſſus* [ſi]*t*, et dicitur tum, ſi eſt rei alienae vſus abs-[q]ue vi metuue perſonae illato exercitus, *furtum* [v]*ſus*. *Nec minus idem dicendum de ſpolio nudo*, di-[c]iturque illud tum ſi eum, cui ius poſſidendi rem [n]oſtram competit, absque vi metuue perſonae [i]llato poſſeſſione eius priuamus, *furtum poſſeſſio-*[n]*is*. *Aſt turbatio poſſeſſionis quoad res nobis propri-*[a]*s concipi nequit.*

§. 410.

Quum ſpolium in genere ſit illicita priua-tio poſſeſſionis quomodocunque facta (§. 486. *Introd.*), *omne ſpolium quidem laeſio eſt, aſt tamen quoties priuatio poſſeſſionis coniuncta cum intentione alterum priuandi dominio rei ſuae pro caſuum diuerſi-*

tate vel in furtum, vel in rapinam, vel in concuſſionem, vel in inuaſionem, degenerat et non niſi ſpolium nudum, laeſionis ſpecies ab his recenſitis diuerſa, eſt.

§. 411.

Damnum iniuria datum, illicitus rei alienae vſus, ſpolium nudum, et turbatio poſſeſſionis differunt a furto, rapina, concuſſione, inuaſione et vſurpatione in eo quod priores laeſiones non vt poſteriores eo tendant vt alterum dominio rei ſuae priuemus. Per comparationem definitionum.

§. 412.

Caeterum nec de quatuor laeſionum §. 408. *recenſitarum ſpeciebus ſingularia quaedam ratione communium plurium laeſionum hic notanda adſunt.*

TIT. II.

DE LAESIONIBVS OFFIC. ERGA ALIOS HYPOTH. RATIONE IVRIS AD REM CONTRARIIS.

§. 413.

Quum ius ad rem ſub ſe comprehendat tam iura et obligationes immediatas, quam mediatas ſiue ex promiſſionibus, ſiue ex laeſionibus oriantur (§. 167. 191.), et omnis actio officiis erga alios perfectis contraria laeſio ſit (§. 339.), facile patet varias concipi poſſe laeſiones quae huc pertinent. Sic laeſiones huc pertinentes ſunt, ſi expletio obligationum huius generis quarumcunque denegatur, ſi re aliena quae vi pacti

pacti penes nos eſt contra legem pacti vtimur, ſeu ea dolo vel culpa deterior redditur. Aſt, cum non niſi de iis laeſionibus quae ſpeciale habent nomen hic agendum (§ 398.), reliquas mitto.

§. 414.

Ad laeſiones huius generis quae ſpeciale habent nomen autem fere vnice *perfidia in pactis* referri poteſt, de qua iam alia occaſione (§. .) actum, et hic tantum addendum, praeter effectum eius ſupra l. c. notatum, eam tanquam laeſionem et hoc operari, quod per perfidiam laeſus nonſolum punire perfidum poſſit, ſed et praeterea ſatisfactionem ab eo poſtulare.

(b)

DE QVASI LAESIONIBVS.

§. 415.

Abſolutis laeſionibus veris ſequuntur quaſi laeſiones (§. 368.) ſeu laeſiones impropriae.

§. 416.

Ad laeſiones huius generis pertinent omnes laeſiones tam officiis erga alios abſolutis quam hypotheticis contrariae, ex agentis a nobis diuerſi ſiue hominis, ſiue animalis, ſiue rei inanimatae actione, quae nobis ob culpam admiſſam imputari poteſt, ortae (§. 343. *Introd.*).

§. 417.

Si actio per quam alteri damnum datum eſt noſtra culpa concurrente, eſt actio hominis qui laedere poteſt, eadem haec laeſio eſt reſpectu agentis vera laeſio, reſpectu eius qui culpa ſua concurrit vero quaſi laeſio. Hincque *eadem laeſio pro diuerſo reſpectu laeſio vera et quaſi laeſio eſſe poteſt* (§. 343.).

§. 418.

Si itaque *quid effuſum vel deiectum ab alio, ita, vt tertius ſit laeſus per effuſionem vel deiectionem, laeſio haec reſpectu effundentis vel deiicientis eſt laeſio vera, reſpectu eius vero qui culpa quadam ſua effecit hanc laeſionem ſibi imputari poſſe, eſt quaſi laeſio.*

§. 419.

Quoad communia laeſionum ratione quaſi laeſionum notandum in eo caſu, quo talis laeſio ſimul reſpectu alterius eſt vera laeſio, vtrumque laedentem quidem poenam mereri, aſt ad ſatisfactionem quaſi laedentem non niſi in ſubſidium teneri. In eo caſu vero quo talis laeſio non ſimul vera laeſio eſt, ſolus quaſi laedens et ad poenam et ad ſatisfactionem obligatus eſt.

(c)

DE ACQVISITIONE, AMISSIONE, PERSECVTIONE ET CONSERVATIONE IVRIVM ET OBLIGATIONVM EX LAESIONIBVS.

§. 420.

In hac doctrina quae per §. 337. nunc expli-

plicanda quoad acquiſitionem iurium obligationum ex delictis diſtinguendum inter acquiſitionem *conſtitutiuam* et *translatiuam*, prout fit dum exiſtere incipiunt, vel non.

§ 421.

Conſtitutiua acquiſitio iurium et obligationum ex laeſionibus facta ſimulac laeſio adeſt, per quam ſolam laeſus id ius acquirit quod ex tali laeſione oritur et laedens obligatus fit ad id, in quo obligatio ex tali laeſione veniens conſiſtit. Poſita enim cauſa ponitur effectus, ſicque poſita laeſione ponuntur iura et obligationes ex laeſione.

§ 422.

Acquiſitio translatiua iurium et obligationum ex laeſionibus fit, quoad ius quod laeſo ex laeſione competit, quatenus concernit ſatisfactionem, tam per ſucceſſionem, quam citra ſucceſſionem iisdem modis quibus ius ex promiſſione translatiue acquiri poteſt (§. 327.): *quatenus vero concernit poenam illud translatiue acquiri nequit. Obligatio ex laeſione vero itidem quatenus concernit ſatisfactionem in alium tranſire poteſt, eodem modo quo obligatio ex promiſſione* (§. *cit.*) *in alium tranſire poteſt, quatenus vero concernit poenam in alium tranſire nequit.* Quoad ius et obligationem ad ſatisfactionem enim perinde eſt quis accipiat quod praeſtandum laedenti, et quis praeſtet laeſo. Quoad ius et obligationem ad poenam vero ex fine poenarum (§. 355.) contrarium fluit.

§. 423.

Amiſſio iurium et obligationum ex laeſionibus fi ratione ſatisfactionis eodem modo, quo fit iurium et obligationum ex promiſſionibus (§ 328.) amiſſio quoad modos communes, nec dantur hic modi ſpeciales. Quoad poenam vero amiſſio haec aliter fieri nequit quam vel per renunciationem, vel per praeſcriptionem exſtinctiuam ita, vt nec condonatio offenſae a parte laeſi, nec poenitentia a parte eius qui laeſit, ius et obligationem ad poenam tollant. Quae de amiſſione ratione ſatisfactionis dicta ſunt fluunt ex ceſſante rationis diuerſitate. Quae vero de amiſſione ratione poenae dicta ſunt partim ex §. *praec.*, partim ex fine poenarum §. 355 fluunt.

§. 424.

Perſecutio iurium et obligationum ex laeſionibus fit per bellum quod, quatenus ſatisfactionem concernit, vindicatiuum, quatenus poenam, punitiuum eſt, et quae de bello tanquam medio perſequendi iura et obligationes in genere dicta ſunt §. 487. *ſeqq. Introd. hic locum habent.*

§. 425.

Conſeruatio iurium et obligationum ex laeſionibus fit prout in genere, vel per media non violenta quae tam in ſtatu naturali quam ciuili locum habent (§. 560-572. *Introd.*), *vel per media violenta* (§. 524. *ſeqq. l. c.*), *licet poſteriora raro applicari poſſint.*

CAP.

CAPVT II.

DE IVRE PERSONARVM.

§. 426.

Abſoluto iure rerum ſequitur ius perſo-rum, ſecundum ea quae §. 39. dicta ſunt, que, iuxta dictum §. 39. complectitur ve-rates iuris naturatis, quae certum hominum atum praeſupponunt, ſicque in iure perſona-im euolui debent iura et obligationes quae ominibus, non qua talibus, ſed qua hoc vel o ſtatu praeditis, competunt. Vt itaque ra et obligationes huius generis diſtincte tra-antur, ſigillatim agendum de 1) *ipſis ſtatibus et ribus et obligationibus quae a ſingulis ſtatibus de-ndent; 2) acquiſitione, conſeruatione, amiſſione et rſecutione iurium et obligationum huius generis.*

(I)

E SINGVLIS STATIBVS ET IVRIBVS ATQVE OBLIGATIONIBVS AB IIS DE-PENDENTIBVS.

§. 427.

Statuum hominum extra rem publicam vi-entium variae dantur ſpecies. In genere ve-o reduci poſſunt ad *ſtatus ſociales* et *non ſociales*, rout ex ſocietate (§. 190. *Introd.*) oriuntur, el non. Sunt itaque pro hac diuerſitate ſta-us varii ſeparandi.

(I)
DE STATIBVS NON SOCIALIBVS.

§. 428.

Non ſociales ſtatus vel per qualitates hom num phyſicas determinantur, vel non. I priori caſu *naturales*, in poſteriori vero *ciuil* dicuntur. De naturalibus primo, dein et d ciuilibus agendum.

TIT. I.
DE STATIBVS NON SOCIALIBVS NATVRALIBVS.

§. 429.

Ad ſtatus non ſociales naturales hominur referri poſſunt I) *ſtatus embryonum.* Sunt ver *embryones* nondum nati, qui a matre iam coi cepti adhuc in vtero eius ſunt.

§. 430.

Licet vulgo dici ſoleat nondum natorum nulla eſ iura, haec theſis tamen reſtringenda ad nondum na tos qui nondum embryones ſunt, quippe qui iura ha bere nequeunt, licet quoad iura ex pacto et prouidenti maiorum omnis actus viuentium eatenus ſit inualidu quatenus impedit nondum natis ſiue ſint embryone ſiue non, dum naſcuntur deferri illud ita prout primu conſtituens illud deferri iis voluit. Praeſertim ver nondum natis qui ſunt embryones omnia officia abſo luta debentur, quae in genere homo homini debet, v ſ

: *embryonis viui abactio ſit homicidium.* Licet nim non entis nullae ſint affectiones, embryoem tamen non ens eſſe dici nequit, quippe otius homo eſt, nec dici poteſt officia abſoıta quae homo homini debet, ad homines exra vterum maternum viuentes reſtringenda ſſe. Caeterum quae de iure ex pacto et proıidentia maiorum dicta ſunt, inde fluunt, quoıiam eſt ius vſufructuarium (§. 145. *Introd.*) de uo diſponere nequit is cui competit (§. 146. ı. 1. l. c.).

§. 431.

Ad ſtatus hominum naturales pertinet II) *ſtatus ſexus, licet pro ſexus diuerſitate homines non niſi ratione educationis liberorum ab iis procreatorum, de qua infra, diuerſis iuribus et obligationibus vtantur, et ne quidem defendi poſſit maiorem a foeminis quam maribus requiri caſtitatem.* Praeter ea quae de educatione liberorum infra dicenda enim ex eo, in quo diuerſi ſexus homines inter ſe differunt, differentia iurium et obligationum deduci nequit.

§. 432.

Ad ſtatus hominum naturales referri etiam debet III) *ſtatus aetatis. Licet enim ſecundum ius naturae certi aetatis gradus, ſecundum quos homines diuerſis iuribus et obligationibus vtuntur, definiri nequeant, in genere tamen homines qui in ea aetate adhuc ſunt, in qua ſanae rationis vſus ſe nondum exſe-*

 rit,

rit, quoad rerum ſuarum adminiſtrationem, promiſſiones et laeſiones diuerſis iuribus et obligationibus ab aliis hominibus in hoc ſtatu non conſtitutis eatenus vtuntur, quod res ſuas ipſi adminiſtrare nequeant, promiſſiones eorum non valeant, et quoad laeſiones obligatio ad poenam vel plane ceſſet, vel minimum poena ob aetatem mitiganda. Quae de rerum adminiſtratione dicta per ſe patent. Quoad promiſſiones et laeſiones vero vid. §§. 205. *et* 348. 364.

§. 433.

Sequitur IV) *ſtatus dementiae* in quo eſt homo qui, licet adultus ſit, vſu rationis ſanae tamen eſt deſtitutus, *de quo valet quod de ſtatu aetatis dictum* §. *praec.* Siue enim ob aetatem, ſiue ob aliam cauſam ſanae rationis vſus deſit, perinde eſt.

§. 434.

Et huc referri poteſt V) *ſtatus corpore vitiatorum*, quales ſunt omnes quorum corpus tale non eſt, quale ordinarie eſſe ſolet. Pertinent itaque ad corpore vitiatos a) *defectu ſenſuum laborantes*, veluti muti, coeci, ſurdi etc. b) *ii quorum corpus quoad partes genitales vitioſum eſt*, veluti caſtrati, frigidi etc; c) *reliqui corpore vitiati vel quoad corpus in genere, vel quoad alias partes praeter organa ſenſoria et partes genitales*, veluti, nani, homines bicorporei, bicipites etc. *Monſtra* vero, quae ſunt partus humani, qui habent tale corpus cum quo anima humana in harmonia

eſſe

nequit, *huc non pertinent, cum homines non*

§. 435.

Homines corpore vitiati, ſi corporis vitium nec e rationis vſum impedit, nec impedit quo minus ii ſui ſenſa declarare poſſint, nec obligationis ex- ionem impoſſibilem reddit, diuerſis iuribus et obli- onibus ab aliis hominibus non vtuntur. Quate- vero defectus corporis vſum ſanae rationis impe- valet quod de dementibus dictum §. praec.; qua- s impedit quo minus animi ſui ſenſa declarare it talis homo, nullum actum qui voluntatis decla- ionem inuoluit valide peragere poteſt; quatenus dem obligationis cuiusdam expletionem impoſſibi- reddit, nonſolum talis homo non eſt obligatus, ſed i promiſit praeſtationem ei propter vitium corporis oſſibilem per pactum onerosum, alter a ſua parte i eſt obligatus vt praeſtet quod repromiſit. Quae caſibus quibus vitium corporis impedit vel nae rationis vſum, vel ſenſorum animi de- rationem dicta ſunt, per ſe patent. Quoad m caſum quo impedit obligationis expletio- m vero vid. §§. 117. *Introd.* et 332.

§. 436.

Licet variae adhuc dentur phyſicae qualitates, cundum quas homines inter ſe differunt praeter eas, quibus oriuntur recenſiti ſtatus naturales, reliquae men ſtatus non ſunt, ita vt ne quidem ea qualitas, od quis ex coitu illicito natus ſit, huc referri poſſit.

Ad

Ad ſtatum enim non ſufficit qualitas ſecunda
quam vnus homo ab alio differt, ſed talis e
debet ſecundum quam diuerſis iuribus et ob
gationibus vtuntur (§. 91. *Introd.*).

TIT. II.

DE STATIBVS NON SOCIALIBVS CIVILIBVS.

§. 437.

Licet pauci dentur ſtatus non ſociales c
uiles, qui quoad homines extra rempublica
viuentes locum habent, quum aliae qualitatu
non phyſicarum quae quoad homines in rep
blica viuentes concipi poſſunt, hic plane locu
non habeant, aliae vero quae locum habent n
ſint tales quae ſecundum ius naturae ad ſtat
referri poſſunt (§. 91. *Intr.*); ſunt tamen no
nulli qui huc referri poſſunt.

§. 438.

Ex his praecipuus eſt I) *ſtatus haeredis.* E
vero haeres ſpecies ſucceſſorum, et quide
ſucceſſorum haereditariorum, qui opponunt
ſucceſſoribus ſingularibus, ita vt ſucceſſor ha
reditarius, hoc eſt, qui a defuncto acquiſiui
ſi non rem ſingularem ex defuncti patrimoni
ſed vniuerſitatem rerum per ſucceſſionem a
quiſiuit, *haeres* dicatur (§. 369. 370. 371. *Intr.*

§. 439.

Quum inter ſe differant qui tantum ius a
ſuc

ceſſionem in vniuerſitatem rerum defuncti ent, et qui per ſucceſſionem eam iam acqui-, ius haereditarium vero non niſi ius ad ſuc-ionem ſit (§. 376. *Intr.*), et heres per ſucceſ-em iam acquiſiuit (§. *praec.*): patet *differenti- admittendam eſſe inter eum qui acquiſiuit ius hae-arium et eum qui vi iuris haereditarii haeres us.*

§. 440.

Haeres itaque *talis fit non per delationem iuris editarii eiusque ſubſecutam acquiſitionem ſed per ecutam, poſt factam iuris haereditarii acquiſitio-, vniuerſitatis rerum a defuncto relictarum, id eſt, editatis* (§. 141.), *acquiſitionem mediante occu-one haereditatis factam.*

§. 441.

Quum vnius defuncti variae a ſe inuicem erſae concipi poſſint haereditates (§. 142.) *us defuncti varios concipi poſſe haeredes, ratione reditatum quas acquiſiuerunt diuerſos, patet.* Et n pro haereditatum diuerſitate diuerſum ſuc-lendi modum locum habere poſſe dubio ca-t, ex hoc fundamento concipi poteſt prae-ua haeredum differentia, ſecundum quam ſuccedunt per ſucceſſionem vulgarem, alii r ſucceſſionem ex pacto et prouidentia ma-um (§. 374. *Introd.*). Illos liceat appellare *redes vulgares*, hos *haeredes ex pacto et proui-tia*, quorum *illi* itaque *ſuccedunt, ſicque acqui-*

runt

runt a proxime defunčto, hi non, ſed potius rat borum proxime defunčti mors tantum efficit exi caſum ſucceſſionis.

§. 442.

Si homo haeres alterius factus eſt, haec q litas efficit eum diuerſis iuribus et obligatio bus vti, et haec iura haeque obligationes q ab hac qualitate dependent ſunt proprie *iur obligationes haeredis qua talis*, in quas nunc quirendum, quoad 1) *haeredem vulgarem; haeredem ex pačto et prouidentia maiorum.*

§. 443.

Haeredis vulgaris iura et obligationes co mode in duas redigi poſſunt claſſes. Sunt p tim *iura et obligationes quae defunčti fuerunt, n haeredis*, partim *quae defunčti non fuerunt, haere tamen ſunt.*

§. 444.

Quoad obligationes quae defunčti fuerunt eae ob gationes tranſeunt in haeredem vulgarem, quae reſpondent iuribus obiečtiue realibus aliorum homin in rebus ad eam haereditatem, quam haeres acqui uit, pertinentibus; 2) ſunt obligationes in dando co ſiſtentes tales, quarum expletio per res ad eam haer ditatem, quam haeres acquiſiuit, pertinentes a defun facienda, quatenus ex iis fieri poteſt, vt ſic haeres v tra vires haereditatis non teneatur. Reliquae d funčti obligationes vero in haeredem non tranſeun Nulla enim allegari poteſt ratio cur haeres vu

gari

ris reſpectu cuius defuncti obligationes per- ent ad aliena, quique qua haeres non niſi ione bonorum defuncti quae haereditatem, ius haeres eſt, conſtituunt alienis ſe immiſcet, erius teneatur.

§. 445.

Quoad iura quae defuncti fuerunt, tranſeunt in eredem vulgarem 1) dominium rerum corporalium uncti quae ad eam haereditatem quam acquiſiuit tinent; 2) iura rebus ad eam haereditatem quam eres acquiſiuit tanquam iura ſubiectiue realia inhae- ntia, ſiue ſint iura in re aliena conſtituta, ſiue non; iura obiectiue realia in re aliena conſtituta quae n ſimul ſubiectiue realia ſunt, quatenus res aliorum ncernunt; 4) iura perſonalia quibus reſpondent in iis hominibus obligationes in dando conſiſtentes tales, id quod dandum ad eam haereditatem quam haeres quiſiuit referri poſſit. Reliqua iura defuncti vero haeredem non tranſeunt. Id quod itidem ex itionibus §. praec. adiectis patet.

§. 446.

Iura et obligationes haeredis vulgaris quae efuncti non fuerunt, haeredis vulgaris qua ta- s vero ſunt (§. 443.), locum habent in dupli- caſu 1) *ſi haeres vulgaris a defuncto legatis et eicommiſſis grauatus, quo caſu ſimpliciter obliga- s eſt ad implendum voluntatem defuncti; 2) ſi ad- nt plures haeredes vnius haereditatis, ſicque cohaere- s, quo caſu adeſt communio haereditatis quae eſt*

com-

communio particularis, ſicque locum habent quae de hac communione (§. 228. *Introd.*) *dicta ſunt.*

§. 447.

Si inter cohaeredes haereditas hactenus communis diuidenda eſt, haec diuiſio tam ad obligationes quam ad iura defuncti, quae per §. 445. *in haeredem tranſeunt, dirigenda et circa eam obſeruanda eſt quae de diuiſione* §. 461. *dicta ſunt.* Quicquid enim commune eſt diuidere debent cohaeredes, et a genere ad ſpeciem valet conſequentia.

§. 448.

Si vnus cohaeredum hactenus haereditatem communem adminiſtrauit, eum tenet communi obligatio omnium adminiſtratorum rerum alienarum (§. 178.) *ſique vnus cohaeredum vi iuris haereditarii legitime ſuccedentium a defuncto adhuc viuente aliquid accepit ita, vt eum id tanquam praecipuum habere defunctum voluiſſe probari nequeat, locum habet* imputatio a defuncto adhuc viuente acceptorum in portionem haereditariam, quae dicitur *collatio.* Eſt enim haereditas, licet poſſeſſor per hypotheſin cohaeres ſit, ex parte tamen res aliena, et quae de collatione dicta ſunt fluunt ex praeſumtione defunctum voluiſſe aequalitatem obſeruari inter cohaeredes, quae ſub circumſtantiis determinatis locum habet.

§. 449.

Quae de haeredum vulgarium iuribus et obligationibus dicta ſunt §. 442. *ſeqq. valent etiam de haered*

e ex pacto et prouidentia ratione primi acquirentis, ratione vltimi defuncti plane ceſſant, vt ſic talis res qua talis nec obligationes vltimi defuncti, quae ſimul ſunt primi acquirentis obligationes, expleat, iura vltimi defuncti, quae non fuerunt ſimul primi acquirentis iura, acquirat. Haeres enim qui ſpectu vltimi defuncti eſt haeres ex pacto et ouidentia maiorum, reſpectu primi acquiritis eſt, cum ab eo acquirat, haeres vulga- (§. 436.). Porro vltimo defuncto non ccedit, ſed eius mors tantum efficit exiſtere ſum ſucceſſionis (§. *cit.*), hinc nulla adeſt ra- cur obligationes et iura eius in eum qua ta- n tranſire debeant.

§. 450.

Si, qui defuncti heres ex pacto et prouidentia maum eſt, ſimul eius heres vulgaris eſt, qua haeres vulris quidem vltimi defuncti obligationes intuitu heditatis, quam vt heres vulgaris acquiſiuit, explere bet, aſt ideo ad expletionem obligationum ab vlti defuncto intuitu haereditatis, quam vt heres ex pacto prouidentia maiorum acquiſiuit, contractarum obligas non eſt, licetque ſemper ei cui vtraque haereditas dertur, vel vtramque repudiare, vel vtramque adire, l vnam adire alteram repudiare. Quum enim aereditates in quas ſucceditur vi ſucceſſionis ulgaris et vi ſucceſſionis ex pacto et prouientia maiorum, diuerſae haereditates a ſe inicem ſeparatae ſint, nulla allegari poteſt ratio

cur qui vnam acquirit et alteram neceſſario acquirere debeat, et cur in haeredem ex pacto et prouidentia maiorum, ideo, quoniam ſimul haeres vulgaris eſt, tranſire debeant obligationes ab vltimo defuncto intuitu haereditatis ex pacto et prouidentia maiorum contractae, quae eum qua talem non tenent.

§. 451.

Porro ad ſtatus non ſociales ciuiles referri poteſt II) *ſtatus infamium.* Dicitur vero in ſtatu naturali *infamis* ſeu *infamia laborans*, qui de officiorum expletione non ſollicitus prauis affectibus indulget, ſicque *infamia contrahitur tam per officiorum erga nos, quam officiorum erga alios neglectum talem, qualis ad infamiam in genere requiritur.* Differunt vero infamia laborantes gradu, et infamia eorum, qui per propter officiorum erga ſe ipſos et imperfectorum erga alios neglectum infamia laborant *infamia minor*, eorum vero qui propter officiorum perfectorum erga alios neglectum infamia laborant, *infamia maior* dicitur.

§. 452.

Diuerſa iura et obligationes diuerſae quibus infamia laborantes et non laborantes vtuntur ſunt, quod 1) *contemtus eorum non ſit iniuria* (§. 394.) 2) *generalis praeſumtio bonitatis quoad eos locum non habeat* (§. praec.).

CHRIST.

CHRIST. THOMASIVS *de exiſtimatione, fama et infamia extra rempublicam.* Hal. 1709.

§. 453.

Tandem III) hic de *ſtatu cognationis* agen-m, licet hic ſtatus certo modo ad ſtatus na-ales referri poſſit. Oritur vero ſtatus co-ationis ex cognatione, vnde de ea quaedam aemittenda.

§. 454.

Cognatio eſt relatio hominum ad ſe inuicem ſobolis procreatione ſeu generatione orta, que vel *conſanguinitas*, ſi haec relatio ex gene-ione per ſe oritur, vel *affinitas*, ſi haec rela- oritur ex generatione per accedentem coi-m. Dicuntur itaque *cognati* homines inter os eſt cognatio, qui vel *conſanguinei*, vel *affi-* ſunt, prout cognatio vel conſanguinitas, l affinitas eſt.

§. 455.

Conſanguinei dicuntur *recti* ſi per generatio-m a ſe inuicem dependet: *a latere* vero, ſi eodem tertio per generationem dependent, on vero ſimul a ſe inuicem. Conſanguinei cti vel *adſcendentes* ſunt, ſi generatus refertur generantem, vel *deſcendentes*, ſi generans re-rtur ad generatum.

§. 456.

Quum affinitas conſtituatur per generatio-em accedente coitu (§. 454.), coitus vero per

ſe cognationem non operetur, cum generatio-nem non inuoluat (§. 454.), *affinitas praeſuppo-nit cognationem quae mediante coitu extenditur ad coeuntes, ita vt cuiuslibet coeuntium cognati coitu accedente fiant alterius cognati, qui, quoniam acce-dente coitu tales inter ſe fiunt, affines ſunt.*

§. 457.

Hinc fluit 1) *coëuntes inter ſe per coitum non fieri affines; 2) coëuntium cognatos inter ſe non eſſe affines, ſed contrahi per coitum affinitatem inter coëuntium vnum et alterius cognatos.*

§. 458.

Quum porro accedens coitus non mutare poſſit cognationem ipſam, quae ante coitum fuit inter coeuntium quemlibet et ſuos cogna-tos, ſed potius eam extendat tantum a perſo-na ad perſonam, facile patet: *vnius coëuntium conſanguineum rectum vel adſcendentem vel deſcenden-tem, fieri alterius affinem rectum vel adſcendentem vel deſcendentem, vt et vnius coëuntium conſanguineum collateralem, fieri alterius affinem collateralem.*

§. 459.

Tandem, quum affinitas per coitum con-trahatur inter vnum coëuntium et alterius co-gnatos, hincque tam cum alterius coëuntium conſanguineis quam affinibus affinitas contra-hatur: inde oriuntur ſpecies affinitatis quae ap-pellari ſolent *primum, ſecundum* etc. *affinitatis ge-*

nus

, prout affinitas contrahitur cum alterius euntium vel conſanguineis, vel affinibus mi generis etc.

§. 460.

Cognationis dantur gradus, eſtque *gradus nationis* eius quantitas, *quae ex generationum datam cognationem conſtituendam neceſſariarum nero aeſtimanda, ita, vt, quo plures ſunt generanes eo minor ſit gradus cognationis, quo pauciores maior, hique gradus cognationis ſunt iidem in conguinitate et affinitate, vt ſic quoto gradu quis mihi natus eſt in conſanguinitate, eodem ei qui mecum icumbit cognatus eſt in affinitate.*

§. 461.

Ex his patebit quid ſit *ſtatus cognationis*, illa mirum qualitas, quod quis ſit alterius coatus.

§. 462.

Iura et obligationes quae a ſtatu cognatios dependent ſunt duplicis generis, partim ſe ſerunt quoad *cognatos inter ſe*, partim quoad *tium.* Prioris generis iura et obligationes ſunt iod 1) *magis obligati ſimus ad perfectionem cognarum promouendum quam aliorum*; 2) *ſingularia ntur officia cognatorum inter ſe, praeſertim inter adndentes et deſcendentes, infra in doctrina de ſociete paterna euoluenda, ſicque omnia ea illicita ſint iae his officiis contraria ſunt, quoties cognatos inter ſe*

concernunt, licet citra hunc reſpectum licita forent, *dentur nonnullae laeſiones cognatis propriae* (§. 34 veluti *parricidium*, quod eſt homicidium proxi cognati, cuiusque ſpecies ſunt *abortus procu tio* (§. 430), et *infanticidium*. *Poſterioris v generis iura et obligationes ſunt, quae inde fluu quod cognati in cauſis cognatorum cum aliis ſint ſuſ cti.* Haec omnia ex amore cognatorum ſ gulari, qui a natura eſt, deducenda ſunt.

(2)
DE STATIBVS SOCIALIBVS.

§. 463.

Abſolutis ſtatibus non ſocialibus ſequunt ſociales (§. 427.), de quibus nunc agend ita vt, 1) *praemiſſis generalibus principiis de ſociet tibus*, 2) *de ipſis ſtatibus ſocialibus* agendum.

(A)
DE STATIBVS SOCIALIBVS SEV SOCI TATE IN GENERE.

L. F. LANGEMACK *allgemeines geſellſchaftlic Recht.* Berlin 1745. 8.

§. 464.

Generalia de ſocietatibus principia nu euoluenda reduci poſſunt ad haec ſumma cap de 1) *conſtitutionis ſocietatum*; 2) *variis ſocie tis ſpeciebus*; 3) *ſuperiore, directore et officiali ſoc*

cietatis; 4) conuentibus ſocietatis et eius conclu-r; 5) bonis, promiſſionibus et laeſionibus ſocietatis;) modis quibus ſocietatis membra talia fiunt et eſſe eſinu it.

TIT. I.
DE CONSTITVTIVIS SOCIETATVM.

§. 465.

Societas in genere §. 190. *Introd.* definita, quae etiam ſaepe ſumitur pro ipſa multitudine hominum finis cuiusdam conſequendi cauſa conſociatorum, abit in ſocietatem *bonorum* et *perſonarum* (§. 288.); de qua vltima ſpecie hic agendum, cuiusque finis non eſt communio eius quod noſtrum eſt, vel fit.

§. 466.

Ex generali ſocietatis et in ſpecie ſocietatis perſonarum definitione itaque patet, ad ſocietatem perſonarum requiri: 1) *duos vel plures*; 2) *finem communem qui non eſt rerum communio*; 3) *conſociationem ad hunc finem obtinendum.*

§. 467.

Quoad primum ſocietatis eſſentiale ſpeciatim notandum, eos qui in ſocietatem coiuerunt ſimul ſumtos perſonam moralem eſſe (§. 94. *Introd.*), et quodlibet horum indiuiduorum qui hanc perſonam moralem conſtituunt, dici *membrum ſocietatis* ſeu *ſocium*, reliquos homines vero in relatione ad ſocietatem dici *extraneos*.

Quoad ſecundum vero non impeditum pro-greſſum ad finem ſocietatis *ſalutem ſocietatis*, ipſum finem quatenus obtinetur *bonum commune ſocietatis*, appellari. Tandem quoad tertium notandum *coniunctionem vel ex lege eſſe, veluti ſi lex obligat ad finem communem obtinendum duos vel plures, vel ex libera voluntate eorum qui ſocietatem ineunt.*

§. 468.

Ex iis quae de conſtitutiuis ſocietatis dicta ſunt §. *praec.* et §. 94. *Introd.* facile patet *quamlibet ſocietatem eſſe perſonam moralem*, quae aeque capax eſt iurium et obligationum ac perſona ſingularis, indeque oritur diuiſio quaedam iurium et obligationum in reſpectu ad ſocietates in iura collegialia et ſingulorum, vt et in obligationes collegiales et obligationes ſingulorum. Sunt vero *iura ſocietatis* ſeu *collegialia*, iura quae ſocietati vt perſonae morali competunt, *iura ſingulorum*, quae ſingulis indiuiduis ex hac ſocietate competunt. Idem valet mutatis mutandis de obligatione collegiali ſeu ſocietatis et ſingulorum.

§. 469.

Ad iura collegialia itaque *referri debent omnia iura quae verſantur circa id quod ſocietatem ita concernit, vt ad omnia ſocietatis membra aequaliter ſpectet, cum, ſi verſantur circa tale quid quod, licet ſocietatem concernat, ad omnia ſocietatis membra tamen aequaliter non ſpectat, ad iura ſingulorum referri debeant.*

§. 471.

§. 470.

Quum poſita ſocietate ponatur imperium, ique origitenus penes totam ſocietatem ſit (§. I 197. *Introd.*), *ipſum ſocietatis imperium et ſin-a in eo contenta iura pertinent ad iura collegialia.*

§. 471.

Quum porro nullum ſit dubium, dari iura re toti ſocietati competentia, veluti domi-um bonorum ſocietatis, vt et, quoad ius ad m, tam iura immediata perſonalia, quam ediata ex promiſſionibus et laeſionibus toti cietati competere poſſe; *ad iura ſocietatis col-gialia pertinent praeter imperium ſocietatis et iura in contenta, iura ſupra in iure in re et ad rem expli-ta, ſi ſocietatibus competunt.*

§. 472.

Societas ſua iura collegialia quae ei originetus mpetunt aut retinere, aut transferre poteſt vel ex-reſſe, vel tacite, et quidem vel omnia, vel nonnulla, i quem vult, ſiue is ſit ſocietatis membrum, ſiue non, nmo in plures ſimul transferre poteſt. De re ſua nim pro lubitu diſponere quilibet poteſt.

§. 473.

Quod ſpeciatim iura ſingulorum ex ſocie-ate, iuribus collegialibus oppoſita, attinet, ad ea eferri debent 1) *omnia iura quae verſantur circa a ad quae imperium ſocietatis extendi nequit* (§. 169. *Introd.*); 2) *iura originetenus quidem collega-lia, aſt in hoc vel illud membrum ſocietatis translata;*

3) *iura circa collegialia iura quae adbuc penes ſoc tatem ſunt, huic vel illi membro ſpeciatim conce* Haec enim iura non ad ſocietatem qua' tale pertinere, ſed ad ſingula membra, dubio car Ergo §. 468.

ERNST CHRIST. WESTPHAL *de iure ſingu rum.* Halae 1757.

§. 474.

Sufficiant haec de iurium in reſpectu a ſocietates diuiſione in collegialia iura et iu ſingulorum. Progredior nunc ad obligati nis in reſpectu ad ſocietatem diuiſionem in co legialem et ſingulorum (§. 468.). Hic ver omnia redeunt ad obligationis fundamentu *quod, ſi omnes ſocios aequaliter tangit, velu verſio in rem ſocietatis facta, pactum per quod ſocieta ſe obligauit, delictum a ſocietate commiſſum, obligati eſt obligatio collegialis: ſi vero fundamentum tal deeſt, obligatio non eſt obligatio collegialis, ſed ſin gulorum ex ſocietate, reſpectu quorum fundamentun obligationis locum habet.* Per definitionem §. 468

§. 475.

Cum iura omnia quae ſocietati competun ſint iura collegialia, haec iura vero partim talia ſunt quae cum ipſa ſocietate naſcuntur, partim talia quae a ſocietate iam conſtituta acquiruntur, in iura *collegialia originaria* ſeu *connata*, et *acquiſita* diſpeſci poſſunt. Idem valet de obligationibus collegialibus.

§. 476.

§. 476.

Prout iura collegialia originaria non ſolum ſed et quiſita, licet membra ſocietatis quae tempore acqui-ionis fuerunt non amplius adſint, penes ſocietatem anent, ita et de obligationibus collegialibus tam iginariis quam contractis idem valet, indeque ex cto anteceſſorum tenetur ſocietas, ſi factum tale eſt per uod obligatio, quae collegialis eſt, contracta. Socie-as enim tanquam perſona moralis eadem ma-et indiuiduis licet mutatis (§. 98. *Introd.*).

TIT. II.
DE VARIIS SOCIETATVM SPECIEBVS.

§. 477.

Societas diuiditur I) in *naturalem* et *non naturalem*, prout vel ex ipſa lege eſt, vel ſocii ſponte ſe conſociarunt (§. 467.).

§. 478.

Diuiduntur ſocietates II) in *aequales* et *inaequales*, et *aequales* dicuntur, ſi imperium ſocietatis penes vnum vel plura membra ſocietatis non eſt, *inaequalis* vero in caſu oppoſito. *Societas* itaque *tam in eo caſu aequalis eſt, quo imperium ſiue tantum, ſiue cum reliquis iuribus collegialibus, in extraneum translatum eſt, quam in eo caſu quo adhuc penes totam ſocietatem eſt.*

§. 479.

Ex eo quod ſocietas ſit inaequalis nondum ſequitur

tur nulla ei competere iura collegialia, et aequalitati non obeſt quaelibet praerogatiua huius vel illius membri, licet ea efficiat illud eſſe primum inter pares. Dantur enim plura collegialia iura praeter imperium ſocietatis in eoque contenta iura (§. 469.), et quaelibet praerogatiua vni alteriue membro competens non eſt imperium ſocietatis in illud translatum. Ergo. §. praec.

§ 480.

Sunt porro III) ſocietates vel *liberae*, vel *non liberae*, prout imperio publico ſeu ciuili (§. 192 *Introd.*) non ſunt ſubiectae, vel ei ſubiectae ſunt. Hinc *omnes ſocietates extra rempublicam exiſtentes ſunt liberae ſocietates.*

§. 481.

Ex comparatione definitionum §. 478. et 480. obuiarum fluit: *ſocietatem non liberam poſſe inaequalem eſſe et liberam aequalem, vt et vice verſa non liberam inaequalem eſſe poſſe.*

§. 482.

Differunt III) ſocietates pro finis diuerſitate, ex quo fundamento tot diuerſae ſocietates concipi poſſunt, quot ſunt diuerſi fines, ad quos obtinendos plures homines ſe conſociare poſſunt.

§. 483.

Sunt et IV) ſocietates vel *ſimplices*, vel *compoſitae*, prout membra eam conſtituentia ſunt vel indiuidua humana qua perſonae ſingulares,

, vel indiuidua humana qua perſonae mo·
es ſeu integrae ſocietates. Simplices ſocieta·
vel non niſi ex duobus membris conſtant,
l ex pluribus, in quo vltimo caſu ſocietas
legium dicitur. Compoſitae ſocietates ſunt
l *ſocietas compoſita minor*, ſi membra ſunt ſocie-
es ſimplices, vel *ſocietas compoſita maior*, ſi
embra ſunt ſocietates compoſitae.

TIT. III.

E SVPERIORE, DIRECTORE ET OFFICIALIBVS SOCIETATVM.

§. 484.

Superior ſocietatis dicitur qui habet imperium
cietatis, ſiue alia iura collegialia ſimul habeat,
ie non. *Director ſocietatis* dicitur cui directo-
um ſocietatis competit. Eſt vero *directorium*
cietatis ius omnia ea peragendi, quae in expe-
endis negotiis ſocietatis ab vno nomine omni-
n peragenda ſunt. *Officialis ſocietatis* dicitur
ui ad certas functiones ſocietati praeſtandas
erfecte obligatus eſt.

§. 485.

Superior ſocietatis itaque *a directore et officiali-*
us ſocietatis differt in eo, quod in ſuperiorem ipſa iura
llegialia ſint translata ſicque ei competant, directori
ua tali et officialibus ſocietatis vero nullum ius colle-
iale competat. Director et officiales vero differunt inter
: in eo quod officialis ad certas functiones ſit conſti-
tutus,

tutus, director vero non, ſed potius in genere perag… quae nomine ſocietatis peragenda ſunt.

§. 486.

Quoties ſocietas habet ſuperiorem qui eſt mem… brum ſocietatis, toties ſocietas eſt ſocietas inaequal… Directorem vero ſocietatem habere non efficit eam e… inaequalem, licet director ſit primus inter par… (§. 478.).

§. 487.

Societatis ſuperior vel eſt perſona ſin… gularis, vel plures ſimul ſumti ſunt ſuperio… hique vel iura ſuperioris ita habent vt ſingul… ſingulis ex integro aſſignata ſint, vel ita v… omnes aequaliter participent de iis, ſicque pe… culiarem ſocietatem aequalem forment impe… rium exercendi cauſa, vel ita vt vnus horum… imperium principaliter et primario habeat, a… nonnulla ſuperioris iura ſibi et reliquis com… munia ſint, quo caſu omnes ſimul ſumti qui… dem ſunt ſuperior, prior vero ſpeciatim *impe… rans*, et poſteriores *adiuncti eius* dici poſſunt… Caeterum notandum reliqua membra praete… ſuperiorem in ſocietate inaequali *ſubiectos* ap… pellanda eſſe.

§. 488.

Si ratione ſuperioris aliquid ſtatuendum, velut… nouus ſuperior eligendus, limites iuris ipſi concedend… determinandi ſunt etc. vi iurium collegialium ab ipſ… ſocietate illud fieri debet, niſi a ſocietate haec iur…

ii

num vel plura membra rranslata. Vi defini-
is iurium collegialium, cum ea quae ſu-
orem ſocietatis concernunt omnia ſocieta-
nembra aequaliter tangant (§. 469.).

§. 489.

Quae de ſuperiore dicta ſunt §. 487. *et* §. 488. *nt etiam mutatis mutandis de directore.* Ob ra-
nis identitatem.

§. 490.

Si itaque *membrum ſocietatis eſt primum inter qua, ex hoc fundamento directorium ſibi arrogare uit, licet, ſi ſocietas directore deſtituta eſt, interi- icum directorium ſibi arrogare poſſit.*

§. 491.

Porro quae de ſuperiore dicta ſunt §. 488. *va- etiam de officialibus ſocietatis.* Itidem vi iden- tis rationis.

TIT. IV.

E CONVENTIBVS ET CONCLVSIS SOCIETATVM.

§. 492.

Conuentus ſocietatis eſt congregatio mem- orum in vno loco, ſocietatis negotium ex- diendi cauſa facta. *Concluſum ſocietatis* eſt luntas ſocietatis, et voluntas membri ſocie- tis, in relatione ad concluſum dicitur *votum* *a ſuffragium. Deliberat ſocietas* dum membra vota

vota ferunt, et *concluſum formatur*, ſi ex vo
collectis determinatur voluntas ſocietatis.

§. 493.

*Ius indicendi conuentum et ſeſſiones ſocietatis, pr
ponendi deliberanda, colligendi vota, formandi co
cluſa eaque, ſi opus eſt, in actum deducendi, ſunt i
quae pertinent ad iura directorii.* Vi definitior
directorii (§. 484).

§. 494.

*In iis quae collegialia iura concernunt, ſi ſociet
eſt aequalis ſocietas, opus eſt ſocietatis concluſo;
vero eſt inaequalis ſuperior decernit, quid fieri ve
vel non; licet, ſi imperium eſt penes plures ſocietat
conſtituentes, et ſuperioris voluntas per concluſum h
ius ſocietatis declaretur, nec non in iis quae ad coll
gialia iura in ſuperiorem non translata pertinent, i
dem per concluſum ſocietatis definiendum quid ſtat
endum ſit.* Per §. 469. 492.

§. 495.

Si itaque ſocietatis concluſo opus eſt in n
gotiis ſocietatis omnia redeunt 1) *ad vota ip
et quid circa ea iuſtum ſit;* 2) *modum ex votis fo
mandi concluſum;* 3) *concluſorum obligandi vim
effectum.*

§. 496.

Quod attinet I) vota de iis ante omnia no
tandum quod varias admittant diuiſiones. Sun
enim 1) vel *virilia*, vel *curiata*, prout vel a ſinguli
indiuiduis feruntur, vel a pluribus indiuidui

qui

ibus coniunctim niſi vnum votum competit; vel *vnanimia* ſi omnes votantes conſentiunt idem placitum, vel *diuerſa*, ſi non. Diuerſa ta vero vel *paria* ſunt, ſi vota in diuerſa pla- a conſentientia ſunt numero aequalia, vel *paria*, ſi numero ſunt inaequalia, eaque quo- m numerus maior, *maiora*, quorum numerus nor, *minora*, dicuntur. Maiora vero in caſu io per vota diſparia plura quam duo diuerſa acita oriuntur, dicuntur *abſolute maiora*, ſi ma- ra ſunt in relatione ad numerum votantium, *pectiue maiora* vero, ſi ſunt maiora in relatio- ad vota in vnum reliquorum placitorum nſentientia; 3) vota vel *ſimplicia*, vel *com- xa* ſunt, prout in plura vota reſolui vel ne- queunt, vel poſſunt.

§. 497.

Dantur praeterea vota quae ſingularibus ominibus ab aliis diſtinguuntur, qualia ſunt 1) *otum deciſiuum*, quo vota paria vertuntur in ma- ora; 2) *votum commune*, quod eſt vnum votum lurium, qui ſinguli votum habent, de quo in- er ſe conuenerunt; 3) *vota ſaniora*, quorum de o, quod fieri debet, iudicium verius eſt quam eliquorum. Sic dicta *vota negatiua* et *vota onſultatiua* autem proprie ad vota referri ne- queunt.

§. 498.

Ius votandi eſt ius vi cuius votum alicuius

audiendum et in formando concluſo attendendum.

§. 499.

Quodlibet ſocietatis membrum habet ius votandi in iis quae iura ſocietatis collegialia concernunt, niſi aliter conuentum, quieſcit vero huius vel illius membri ius votandi 1) ſi ei in caſu quodam dato renuntiat quod expreſſe fieri poteſt, vt et tacite fit, ſi ad deliberationem vocatus non comparet, aut diſcedit voto non dicto; 2) ſi negotium de quo deliberandum tale eſt quod ad hoc vel illud membrum ſpectat. Ex notione voti (§. 492.) enim facile patet, iuris votandi fundamentum eſſe quod quis ſit membrum ſocietatis. Quum itaque fundamentum huius iuris in eo ſitum quod omnibus ſociis commune eſt, non poteſt non ſingulis membris ius votandi competere.

§. 500.

In iis quae iura ſocietatis collegialia concernunt nonſolum ſingulis ſociis competit ius votandi, ſed et vnius votum tantum valere debet quantum valet alterius, ſeu, ſingulorum vota eiusdem ſunt valoris. Vi demonſtrationis §. praec.

§. 501.

Hinc fluit 1) *vota ſaniora* (§. 497.) *ideo quoniam ſaniora ſunt praeferenda non eſſe*; 2) *non dari votum deciſiuum* (§. cit.) *quod ex natura ſocietatis fluit, ita vt nec votum directoris per ſe tale ſit.*

§. 502.

§. 502.

In ferendis votis is obſeruandus eſt ordo qui in :ietate in aliis locum habet; licet tamen ei qui vo-n iam tulit mutata ſententia calculum ſuum adii-re votis ſequentibus, quamdiu nihil fuerit conclu-n. Dependet enim ſaepe voti vis a priori-:e in ordine, et quamdiu nihil concluſum nul-is intereſt an votum mutetur, vel non.

§. 503.

Vota dicuntur *numerari*, ſi numerus votorum nſentientium in idem placitum per compu-m determinatur. *Ponderari* vero dicuntur, inquiritur quae ex votis diuerſis ſint ſaniora. numeratione votorum ea vota dicuntur *con-ngi*, quae inter ſe vt vnitates numerum effi-entes aſſumuntur, quae non, dicuntur *ſeparari*.

§. 504.

Si votis collectis ea numeranda ſunt 1) *vota, ſi ıae adſunt, complexa, reſoluenda ſunt in vota ſim-icia;* 2) *plura ſimplicia vota ſingulorum membro-ım ſimul ab iis latorum, a ſe inuicem ſecundum di-erſa themata deliberationis ſecernanda;* 3) *non niſi coniungenda ſunt quae prorſus eadem ſunt, nec quae genere quidem conueniunt, aſt differunt in ſpecie, ıniungi poſſunt;* 4) *quo facto ad ipſum computum rogrediendum.* Vota enim ſunt vnitates ex quarum oniunctione oritur numerus, qui eſt vnitatum arundem multitudo. Quae cum ita ſint in

 ſub-

ſubſidium adhibita definitione §. praec. obui: praeſens problema de votorum numeration recte reſolutum eſſe patebit.

§. 505.

Haec ſufficiant de votis, progredior II) a modum concluſum conficiendi (§. 495.). Poteſ vero concludi tam in conſeſſu ſocietatis, quan extra conſeſſum. In priori caſu dicitur *con cluſum collegiale*, in poſteriori *extracollegial* Collegialiter iterum duplici modo conclud poteſt, vel ita vt ſingula membra ſecundun votandi ordinem ſigillatim vota ferant, vel it vt haec formalitas non obſeruetur. In prior caſu concluſum *per vota collecta formatum con cluſum*, in poſteriori caſu *concluſum votis non co lectis formatum*, dici poteſt.

§. 506.

Si in conſeſſu ſocietatis aliquid proponitur ad de liberandum, et ſingulorum votis nondum collect apparet omnia membra in idem conſentire placitun votorum collectione non eſt opus, in reliquis caſibu vero vota ſunt colligenda. In priori caſu enin votorum collectio eſſet ſuperflua, neutiquar vero in ſecundo.

§. 507.

Si concluſum praeuia votorum collectione confic endum, hoc prius fieri nequit quam vbi ſinguli votu ſuum tulerunt, licet omnium votis nondum auditis ia appareat adeſſe maiora. Per §. 499. et 502.

§. 50

§. 508.

Si votis a ſingulis latis ex iis concluſum conficiendum, ſemper ſunt numeranda nunquam ponderanda (§. 501. 503). Numeratis vero votis aut adſunt *vnanimia*, aut *non*, et, ſi vnanimia non adſunt, aut adſunt *paria*, aut *diſparia* vota. De ſingulis his caſibus itaque ſigillatim agendum.

§. 509.

Si votis collectis adſunt vnaminia haec concludunt. Quod enim ſingula indiuidua volunt eſt voluntas perſonae moralis (§ 95. *Introd.*) ergo et concluſum ſocietatis, quippe quae perſona moralis eſt (§. 468.).

§. 510.

Si votis collectis adſunt vota diuerſa et quidem paria, ſiue in duo, ſiue in plura diuerſa placita, nihil concluditur, ſeu deeſt concluſum. Res itaque manet in ſtatu in quo nunc eſt, ſi in eo manere poteſt, ſi vero in eo manere non poteſt, aut conſultatio repetenda donec perueniatur ad vota quae concludunt, aut per ſortem determinandum quae ſententia vincere debeat. Sunt enim vota ſociorum eiusdem valoris (§. 500.), ſique res in ſtatu in quo eſt manere nequit, quod per vota fieri nequit alio modo fieri neceſſe eſt.

§. 511.

Si votis collectis adſunt vota diuerſa, et quidem diſparia, in iis quae collegialia iura concernunt maiora concludunt, quae, ſi non niſi duo placita votan-

 tium

tium adſunt, ſemper ſimul abſolute et reſpectiue m iora ſunt, ſi vero tria aut plura votantium placi adſunt, vel abſolute maiora eſſe poſſunt, vel tantu reſpectiue talia, vtut, licet ſint tantum reſpectiue m iora, tamen concludant. In iis vero quae collegi lia iura non concernunt, maiora non concludunt. V eorum quae de perſonae moralis, qualis eſt ſ cietas (§. 468.), voluntate dicta ſunt §. 95. *Int* et notionis iurium collegialium (§. 468.) tan quam concluſi ſocietatis (§. 492.). Praeſe tim vero, quod etiam vota reſpectiue maio ſufficiant, inde eſt, quoniam placito pro qu ſunt, pauciſſima vota ſemper aduerſantur.

IO. VLR. L. B. de CRAMER Pr. *id quod iuſtum circa votorum diſparitatem ex pari ſuffr gantium iure definiens.* Marb. 1734. et Opu Tom. II. n. XIX.

§. 512.

Calculus Mineruae eſt deciſio negotii contr uerſi per paritatem votorum, *qui* itaque *toti locum habet, quoties adſunt vota paria et res mane poteſt in ſtatu in quo nunc eſt* (§. 510.).

IO. VLR. L. B. de CRAMER Pr. *Calculo Mine uae ſuos terminos vindicans.* Marb. 173 et Opuſc. T. II. n. XVIII.

§. 513.

De concluſorum ſocietatis vi et effectu II agendum (§. 496.) vbi notandum concluſu

ſoci

cietatis vel continere regulam ſecundum
iam membra actiones ſuas determinare de-
nt, vel non. In priori caſu dicitur *lex ſocie-
tis conuentionalis, quae ſpecies legum poſitiuarum eſt*
. 246. *Introd.*). *Si* itaque *concluſum eſt lex, eſt
temperandum a ſingulis membris, ſi non, concluſum
actum deducendum.*

§. 514.

*Quodlibet concluſum ſocietatis per vnanimia for-
atum obligat ſingula membra et iis imputari poteſt,
que non dantur caſus, vt ita loquar, a iure vnani-
ium excepti.* Si enim vota ſunt vnanimia con-
luſum ſocietatis eſt ratione ſingulorum mem-
rorum inſtar decreti cuiuslibet eorum (§.
96.). Ergo.

§. 515.

*Si in iis quae iura collegialia concernunt per ma-
ora aliquid concluſum, diſſentientes non habent ius ſe
pponendi concluſo per maiora formato, licet conclu-
um ipſos diſſentientes in ſingulari concernat, immo
is qua ſociis imputatur, licet proteſtationem interpo-
uerint, quippe quae tantum efficit iis pro ſua per-
ona imputari non poſſe concluſum. Aſt, ſi in iis quae
ura collegialia non concernunt, plures aliquid volunt,
diſſentientes quidem ius ſe opponendi habent tali pla-
cito et impediendi eius executionem, ſi iuri ſingulorum
diſſentientium contrariatur fieri quod plures volunt, non
vero in caſu oppoſito. Nunquam tamen in hoc caſu iis nec
qua ſociis, nec qua ſingulis imputari poteſt tale placi-*

tum plurium membrorum. In priori caſu enim maiora concludunt, non in poſteriori (§. 511.). Licet vero in poſteriori caſu maiora non concludant, diſſentientes tamen impedire nequeunt reliquos agere ſecundum ſuum arbitrium, quatenus eorum ius quaeſitum, quod in iis quae iura collegialia non concernunt, ſocietatis arbitrio non ſubiectum, non violatur. Caeterum quae de imputatione tam in primo, quam ſecundo caſu dicta ſunt, fluunt ex §. 96. *Introd.*

§. 516.

Caſus a iure maiorum excepti dicuntur, in quibus maiora non concludunt, ſeu, id quod plurima ſocietatis membra volunt diſſentientes non obligat. Vnde patet *ſecundum ius naturae non niſi vnicum eum caſum a iure maiorum exceptum concipi poſſe quem ſiſtit pars poſterior propoſitionis praecedentis.*

§. 517.

Si diſſentientes pauciores ex ſocietate ſe opponunt ei quod volunt numero plures, *in partes ire* dicuntur. Quum itaque per ſe pateat hoc non niſi in caſu a iure maiorum excepto fieri poſſe, *diſſentientibus paucioribus non niſi in vnico illo caſu, qui ſecundum §. praec. a iure maiorum exceptus, ius in partes eundi competit*, et cum, quod ſemel placuit amplius diſplicere nequeat, *illud, antequam concludatur ſecundum maiora, exercendum eſt.*

§. 518.

§. 518.

Concluſum ſocietatis mutari poteſt, niſi per illud *io ius quaeſitum iam ſit. Aſt omnium ſuffragan-* *n conſenſu haec mutatio fieri debet.* Prius inde ꝗet quod, prout perſona ſingularis, ita perſo- moralis, qualis eſt ſocietas, voluntatem ſuam ıtare poſſit, quatenus nullius ius quaeſitum r hanc mutationem laeditur. Poſterius ex quae de pluralitate votorum in cauſis iura gulorum non concernentibus concludente ꝺta ſunt §. 511. 515. deducendum.

§ 519.

Si itaque *poſtquam per maiora quid concluſum,* *nes qui ſtant a parte maiori in ſententiam partis* *inoris abeunt, concluſum eſt mutatum, non vero ſi* *nnulli eorum qui ſtant a parte maiori hoc faciunt,* *et poſt hunc acceſſum pro ſententia partis minoris* *t maiora.*

TIT. V.

DE BONIS, PROMISSIONIBVS ET LAESIONIBVS SOCIETATVM.

§. 520.

Bona ſocietatis dicuntur res in ſocietatis do- ıinio exiſtentes; quae, ſi ſunt pecunia nume- ata expenſis ſocietatis deſtinata, *aerarium ſocie-* *atis* conſtituunt.

§. 521.

Bona ſocietatis non ſunt in condominio ſed in do-

 minio

minio ſolitario, *idquè dominium eſt ius collegiale ſo-cietatis.* Societas enim eſt vna perſona mora-lis (§. 468.), hinc horum bonorum dominium penes plures non eſt, indeque in condominio non ſunt (§. 220. *Introd.*), et, cum eorum do-minium competat ſocietati, non ſingulis ex ſo-cietate, ius collegiale eſt (§. 468.).

§. 522.

Licet ſocietas ſit inaequalis, inde nondum ſequi-tur dominium bonorum ſocietatis eſſe penes ſuperio-rem. Superior enim qua talis omnia iura col-legialia non habet (§. 484.).

§. 523.

A bonis ſocietatis differunt bona ſingulorum mem-brorum, quorum dominium eſt ius ſingulorum. Sub-ſ tamen hoc dominium imperio ſocietatis catenus, qu vi eius diſponi poſſit de his bonis, quatenus ad fine ſocietatis obtinendum requiritur, ſicque dantur iu collegialia quae verſantur circa bona ſingulorum mem-brorum ſocietatis, ſique de tali iure collegiali ſerm eſt, valet concluſum per maiora formatum, licet co cernat iura ſingulorum. Quod bona ſingulorum imperio ſocietatis ſubſint dicto modo, patet p §. 196. *num.* 3. *Intr.* Reliqua per modum co rolarii inde fluunt, vi §. 468. et 515.

§. 524.

Promiſſiones ſocietatis, quas ſemper promiſſi nes inter viuos eſſe per ſe patet, ſunt promi ſiones a ſocietate factae, hincque *ius per promi*

ſione

iam obligandi ſocietatem pertinet ad iura collegia- et obligatio ex promiſſione ſocietatis orta eſt col- gialis obligatio §. 468.

§. 525.

Si ius collegiale per promiſſionem obligandi ſocie- tem adhuc penes ſocietatem eſt, tum demum per promiſſionem obligatur ſocietas, ſi vi concluſi aut vnanimia, aut per maiora formati, promiſſio facta. r §. 492.

§. 526.

Laeſio ſocietatis, in ſenſu nimirum actiuo, : ea cuius auctor eſt ſocietas, *eſt* itaque *ex ſione ſocietatis orta obligatio collegialis obligatio* . 474).

§. 527.

Quoties laeſio quaedam fit ex concluſo ſocietatis r vnanimia formato, eſt laeſio ſocietatis. Quoties ero per vota maiora placet plurimis membris fieri cietatis nomine quod laeſionem inuoluit, talis laeſio eſio ſocietatis non eſt, ſed eorum ſingulorum mem- orum ſocietatis qui conſentiunt, hique ſunt huius lae- onis coauctores. Prius patet per §. 509. Quoad poſterius vero notandum non niſi in s quae iura collegialia concernunt maiora oncludere (§. 511.), aſt huc laeſiones referri nequeunt.

§. 528.

Si laeſionis coauctores ſunt plures ſocietatem con- ſtitu-

ſtituentes, aſt tamen ſine praeuia deliberatione et ſecuto concluſo contingit laeſionem factam eſſe ab nunquam talis laeſio laeſio ſocietatis eſt, ſed eſt la ſingulorum, licet omnia ſocietatis membra ſint cc ctores. Per definitionem §. 524.

§. 529.

Poena eſt *poena ſocietatis, et ſatisfactio lae ſocietate fit,* ſi malum phyſicum per poenam i miſſum, et id quod praeſtandum ſatisfactio nomine, immediate ſocietatem qua perſon moralem concernit. Vnde per ſe patet qu ſit *poena ſingulorum membrorum* et *ſatisfactio a ſ gulis praeſtanda,* vt et, *in caſu priori* §. 527. *t poenam ſocietatis et ſatisfactionem ſocietatis, quam ſ gulorum, locum habere, in poſteriori caſu vero n niſi poenam et ſatisfactionem ſingulorum.*

§. 530.

Si laeſio ab vno alteroue membro ſocietatis ta quam auctore, aut etiam ab extraneo commiſſa, ſ cietas tanquam laedens minus principalis ex tali la ſione toties obligatur, quoties adſunt ea quae iux ſuperiora §. 351. *efficere poſſunt aliquem pro laeden minus principali habendum eſſe. An vero tum lae minus principalis pro laeſione ſocietatis habenda, v non, ex dictis* §. 527. *diiudicandum.*

TIT

TIT. VI.

MODIS QVIBVS MEMBRA SOCIE-'ATIS TALIA FIVNT ET ESSE DE-SINVNT.

§. 531.

Membrum ſocietatis in genere tale fit vel *inarie*, dum ſocietas conſtituitur, quod, quoad ietates non naturales, per duorum vel pluri- conſenſum praeſentem in coniunctionem ium ad finem eundem obtinendum fit, vel per *ptionem*, ſi ſocietas iam conſtituta declarat od, qui hactenus extraneus fuit, pro mem- impoſterum habendus.

§. 532.

Ius determinandi an extraneus in numerum mem-rum ſocietatis ſit recipiendus, vel non, eſt ius col-iale. Receptio noui membri enim omnes cios aequaliter concernit. Ergo §. 469.

§. 533.

Quam primum quis membrum ſocietatis factus , vi huius ſtatus quem ſibi acquiſiuit iura et obli-tiones eius eatenus alterantur quod, quoad obliga-nes, nunc perfecte obligatus ſit ad faciendum quae l finem ſocietatis conſequendum facere poteſt et quod, ab eo fiat, ſpecialiter conuentum eſt, per defini-onem ſocietatis (§. 191. *Intr.*) hincque, *quoad iu-, omnia iura quae ſocius, ſi extra ſocietatem conſtitu-s eſſet, haberet, nunc non amplius habet, quatenus*

cum

cum dicta obligatione quam vt ſocius contraxit ſubſtere nequeunt, licet et acquirat per hunc ſtatum nua iura, nimirum iura obligationibus conſocii vel cſociorum, quae ſunt illae obligationes quas qulibet ſocius prout dictum contrahit, reſpondentia, quin ſocietate ſimplici ex duabus perſonis conſtante ſolin reliquis cum caeteris membris coniunctim hab Vnde porro patet, *vnicum fundamentum ex qiura et obligationes ſociorum quo talium definiri pſunt eſſe finem ſocietatis.*

§. 534.

Qualitates eorum qui ſocii eſſe poſſunt, in geneex natura ſocietatis non niſi eatenus determinapoſſunt, tot et tales ad ſocietatem requiri perſonaquot et quales ad finem ſocietatis conſequendum ſuficiunt. Per §. 191. *Introd.*

§. 535.

Quod attinet in ſpecie id membrum ſocitatis in ſocietate inaequali quod eſt *ſuperior*, *talis fit per imperii acquiſitionem* (§. 484.). Acquiritur vero imperium originetus per deltionem a ſocietate factam, de qua valent quade translatione iurium collegialium in generſupra §. 472. dicta ſunt. Licet itaque tam ddiuerſo modo imperium transferendi, veluvel irreuocabiliter, vel reuocabiliter; ad certutempus, aut ad dies vitae etc. quam de transltiua acquiſitione imperii, veluti per ſucceſſinem, ceſſionem etc. varia, quae de omni imperi

in ge

;enere valent, hic dici poſſent, his tamen immorari nolo, cum ſufficere poſſit, ſi in trina de imperii ciuilis acquiſitione, de qua parte tertia huius ſyſtematis agendum, haec nia diſtincte proponuntur. Unde hic tan- quoad iura et obligationes eius ſocietatis equalis membri, quod eſt ſuperior, qua s, notandum, de iis iudicandum eſſe par- ex iis quae de imperii natura et indole 196. 197. *Introd.*) dicta ſunt, partim ex re- is per pactum inter ſubiectos et ſuperiorem ſtitutis, quae determinant iura et obliga- nes in regimine, quae *leges ſocietatis funda- tales* dicuntur, *et aeque poſitiuae leges ſunt ac le- ſocietatis conuentionales* (§. 513.), *ab iis tamen erunt in eo quod ſingulorum membrorum ſocietatis iones dirigant, non ſuperioris quoad ſubiectos, aut iectorum quoad ſuperiorem, quorſum tendunt leges ietatis fundamentales; vt taceam leges ſocietatis damentales per modum pacti obligare, id quod de ibus conuentionalibus dici nequit, quippe quae vi perii obligant, licet per concluſum ſocietatis, ſicque r vota membrorum, condantur.* Caeterum et hac caſione monendum, dari adhuc tertiam andam legum ſocietatis ſpeciem, quae *pro- ie* et *ſimpliciter leges* dicuntur, nimirum leges as in ſocietate inaequali ſuperior vi imperii ndit, *quas toto coelo diuerſas eſſe a legibus ſocie- tis fundamentalibus et legibus ſocietatis conuentio-*

nali-

nalibus ex comparatione definitionum et §. 494. *cile patet.* Quae cum ita ſint omnes leges p ſitiuae ſocietatum ſunt vel *fundamentales*, vel *n fundamentales*, et poſteriores vel *leges ſociet conuentionales* ſunt, vel *leges proprie ſic dictae.* quum non niſi abuſiue et pacta ſingulor hominum inter ſe leges appellentur, recte di ris, recenſitas legum poſitiuarum ſpecies e omnes poſſibiles earum ſpecies, ſi ſcilicet o ginem earum ſpectas.

§. 536.

Socius in genere talis eſſe deſinit ſi *ſocie diſſoluitur*, id eſt, conſociatio duorum vel plu um ad eundem finem obtinendum nec actu, n in ſpe adeſt. Subſiſtente vero ſocietate ſoci talis eſſe deſinit, ſi *recedit a ſocietate*, id eſt, ſoci amplius eſſe non vult, et ſi *excluditur*, hoc e ſocietas eum pro ſocio amplius agnoſcere n vult.

§. 537.

Societas naturalis aliter diſſolui nequit quam f eius obtento, niſi ſocietas ſit ſocietas ſimplex duor membrorum et vnum eorum deficiat. Cum eni ex lege ſit quae obligat ad finem obtinendu coniunctis viribus (§. 477.), non niſi eo obte to obligationis huius expletio facta. Erg Exceptio ex ſocietatis notione (§. 191. *Intro* per ſe patet.

§. 53

§. 538.

Societas non naturalis diſſoluitur variis modis
les ſunt: 1) *ſi finis obtentus, vel eum obtineri im-*
ſibile eſſe patet; 2) *ſociorum diſſenſus;* 3) *tempo-*
lapſus, ſi ſocietas eſt temporaria; 4) *perfidia con-*
ii ſique talis deeſt, in ſocietatibus ſimplicibus duo-
membrorum. Quae omnia ex hypotheſibus
ipſis notionibus per ſe fluunt. Quoad per-
iam et diſſenſum vero videatur §. 329. 331.

§. 539.

Socius a ſocietate recedere nequit, niſi hoc fiat
conſociorum conſenſu; 2) *ſine conſociorum damno,*
uti ſi nihil amplius ad finem ſocietatis conferre poteſt;
quoniam praeuidet ſocius ſocietatem ſibi damnoſam
re; 4) *propter perfidiam in ſocietatibus ſimplicibus*
arum perſonarum. Regula patet ex §. 533.
uoad exceptionem primam vid. §. 329. quo-
l ſecundam §. 465.; quoad tertiam §. 170.
trod.; quoad quartam §. 331.

§. 540.

A ſocietate ſocius excludi nequit, quamdiu obli-
ationibus ſuis ſatisfacit, ſi vero perfidiam committit,
ut ſine damno conſociorum talis amplius eſſe ne-
uit, excluſio eſt licita. Per excluſionem enim
ieditur ius quaeſitum per receptionem acqui-
tum. Aſt quoad exceptionem primam vid.
. 331.); quoad ſecundam §. 170. *Introd.*

§. 541.

Quod attinet in ſpecie id ſocietatis inae-

qualis membrum quod eſt ſuperior, is talis eſſe deſinit tam ſi ſocietas interit, quam ſi ſocietas ſubſiſtit. Poſterius fit variis modis, quibus ex iisdem rationibus, ex quibus ſupra §. 535. doctrina de modis quibus ſuperior talis fit vlterius non euoluta, hic immorari nolo.

(B)
DE SINGVLIS STATIBVS SOCIALIBVS SEV SOCIETATIBVS IN SPECIE.

§. 542.

Abſolutis principiis generalibus de ſocietatibus, de ſingulis ſtatibus ſocialibus agendum §. 463. Differunt vero ſtatus ſociales pro diuerſitate ſocietatum, quae et in eo differunt quod aliae ſint ſimplices, aliae compoſitae, (§. 483.). Agendum itaque de 1) *ſimplicibus* 2) *compoſitis* ſocietatibus.

(a)
DE SOCIETATIBVS SIMPLICIBVS.

§. 543.

Simplices ſocietates ſunt vel ſocietates duorum membrorum, vel collegia (§. 453.): vnde nunc ſigillatim de his ſocietatibus pro hac diuerſitate agendum.

(A

(A)

E SOCIETATIBVS SIMPLICIBVS DVORVM MEMBRORVM.

§. 544.

Societatum huius generis praecipuae ſunt *ſocietas paterna;* 2) *ſocietas coniugalis;* 3) *ſo-as herilis.* Sequuntur itaque hae tres ſocie-es, vt quid circa eas iuſtum ſit definiatur.

TIT. I.

DE SOCIETATE PATERNA.

§. 545.

Ex facta ſobolis procreatione, ſiue ex coitu illici-ſiue ex licito ea facta ſit, oritur obligatio ad ſo-is procreatae educationem quae eſt cura ſobolem, ae propter aetatem nimis teneram non poteſt, am, ſtatumque eius externum perfectiorem ldendi, *quaeque obligatio tam patri quam matri ualiter incumbit. Quodſi vero parentes huic obli-ioni ſatisfacere nequeunt, proximis cognatis haec umbit obligatio.* Haec theſis ex eo principio de-cenda, quod ſoboles procreata, quamdiu pro-er aetatem nimis teneram obligationi ſe ſta-nque ſuum externum reddendi perfectio-n ſatisfacere nequit (§. 162. *Introd.*), ius eat ab aliis hominibus poſtulandi vt hoc ab fiat (§. 167. *l. c.*). Quum vero parentes to ſuo procreationis effecerunt talem homi-

 nem

nem exiſtere, ii prae aliis hominibus ſunt obligati, ſique hi non poſſunt, cognati, quippe qui tum prae aliis obligati ſunt ad cognati perfectionem promouendum.

§. 546.

Societas cuius finis eſt educatio, dicitur *paterna* ſeu *parentalis*, *quae* itaque *concipi nequit niſi adſit homo qui propter nimis teneram aetatem ab aliis educandus.* Per definitionem educationis (§ 545.).

§. 547.

Vt doctrina de ſocietate paterna diſtincte euoluatur, ante omnia notandum varias huius ſocietatis ſpecies a ſe inuicem diſtinguendas eſſe, licet hoc vulgo fieri non ſoleat. Societas cuius finis eſt educatio enim differt pro diuerſitate perſonarum ad hunc finem obtinendum conſociatarum, quales ſunt vel parentes ſeu educantes inter ſe, vel parentes eiusue vices implentes, ſeu in genere educans ab vna parte et educandus ab altera parte. Liceat itaque ſocietatem patris et matris inter ſe, cuius finis eſt educatio ſobolis ab iis procreatae, *ſocietatem paternam in reſpectu ad parentes appellare*, eique ſocietatem quae inter educantem et educandum eſt, opponere. Poſterior vel eſt ſocietas inter patrem, ſeu matrem, vel, ſi ambo adſunt, parentes, qui tum pro vna perſona habendi, et ſobolem a ſe procreatam, cuius finis

eſt educatio eius, quam *ſocietatem paternam in reſpectu ad liberos* ſeu *ſtricte ſocietatem paternam* appello, vel eſt ſocietas inter alium et ſobolem ab aliis procreatam, cuius finis eſt educatio eius, quam *ſocietatem tutelarem* appello. In primo caſu pater ſeu mater, vel parentes, ſunt vel naturales, vel per *adoptionem*, hoc eſt, per aſſumtionem ſobolis ab aliis procreatae tanquam talis quae ab aſſumente procreata, tumque dicitur ſocietas paterna ſtricte ſic dicta, ſi prius, *naturalis*, ſi poſterius, *adoptiua*.

§. 548.

Societas paterna in reſpectu ad parentes eſt ſocietas naturalis ſimplex duorum membrorum et aequalis (§. 545.), *quae conſtituitur per ſolam procreationem ſobolis, et diſſoluitur, dum vel proles procreata educatione non amplius indiget, vel parentum vnus alterue deficit, per excluſionem vero et renunciationem diſſolui nequit* (§. 537.). *Caeterum iura et obligationes quae conſtituta hac ſocietate oriuntur, ex fine eius educatione eiusque conceptu* (§. 533.), *et per applicationem principiorum generalium de ſocietatibus* (§. 465. *ſeqq.*) *facile deduci poſſunt. Vnde hoc tantum notandum quod in hac ſocietate, licet aequali, detur tamen obligatio vni ſociorum, matri nimirum, propria, ſcilicet obligatio proprio lacte alendi liberos* (§. 66. 162. *Intr.*).

IO. FRID. COLLING *de oblig. matrum proprio lacte alendi liberos.* Lipſ. 1709.

§. 549.

Societas paterna ſtricte ſic dicta naturalis itidem

ſocietas naturalis et ſimplex eſt et conſtituitur per ſolam generationem, ita vt, quot generantur liberi, tot oriantur numero diuerſae ſocietates paternae ſtricte ſic dictae naturales (§. 545.).

§. 550.

In ſocietate paterna ſtricte ſic dicta naturali omnia iura collegialia ſunt penes patrem, ſeu matrem, vel, ſi ambo viuant, parentes, qui itaque *ſuperior, liberi vero ſubiecti ſunt, et ſocietas eſt inaequalis ſocietas* (§. 545.).

§. 551.

Poteſtas patria eſt ius parentibus in ſocietate paterna ſtricte ſic dicta naturali competens in liberos, *quae* itaque *complexus iurium collegialium huius ſocietatis eſt*, ſicque *vel patri, vel matri, vel parentibus competit, prout vel ambo parentes adſunt, vel vnus alterue* (§. *praec.*).

§. 552.

Patria poteſtas ſecundum ius naturae continet 1) *imperium in liberos;* 2) *ius adminiſtrandi bona liberorum et vſumfructum eorum eatenus, quatenus ſumtus educationis per eum compenſantur;* 3) *ius operas ab iis exigendi eatenus, quatenus per eos ſumtus educationis, quos parentes ex ſuis bonis impendunt, compenſantur.* Quae omnia ex natura educationis ad quam peragendam tendit patria poteſtas et, quoad num. 2. et 3. ex eo fundamento, quod parentum obligatio ad educandum per §. 545. inde oria-

riatur, quod liberi ſibi ipſis proſpicere neque-
it, deduci poſſunt.

§. 553.

Patria poteſtas in ſocietate paterna ſtricte ſic dicta
turali ſimul acquiſita eſt, dum ipſa haec ſocietatis
r natiuitatem prolis conſtituitur. Poſita ſocieta-
enim poni ipſa iura collegialia originaria
ıbio caret, et talia continet poteſtas patria
. 468.).

§. 554.

Societas paterna ſtricte ſic dicta naturalis diſſol-
tur educatione abſoluta vt et per mortem vel pa-
ntum, vel liberorum, tumque ſimul patria poteſtas
nittitur. Aliis modis vero diſſolui nequit, ita vt
llus ſociorum diſcedere poſſit, nec excluſio locum ha-
at. Eſt enim haec ſocietas natura conſtituta
. 549.). Ergo (§. 537.).

IO. BALTHASAR WERNHER *de iure parentum et liberorum ſecundum ius naturae.* Lipſiae 1698. et in Eius Diſſ. iuris naturae quae Wittebergae 1721. 8. prodierunt.

CAR. ANDR. CHRISTIANI *Gedancken von dem Unterſcheide des natürlichen und Römiſchen Bürger-Rechts in Anſehung der väterlichen Gewalt.* Königsb. 1740. 4.

§. 555.

Quae de ſocietate paterna ſtricte ſic dicta naturali
icta ſunt (§. 549. *ſeqq.*), *valent etiam de adoptiua,*
iſi quod hic, loco natiuitatis prolis, factum adſumtio-

nis prolis ab aliis generatae, ſubſtituendum. Si enim quis declarat quod prolem a ſe non generatam tanquam talem adſumere velit, hoc merito eundem, quem ipſa generatio, habet effectum.

§. 556.

Vltima ſpecies ſocietatis paternae eſt ſocietas tutelaris, cuius membra ſunt tutor et pupillus, de qua quoad conſtitutionem huius ſocietatis notandum eam itidem per naturam conſtitutam eſſe, quatenus cognatus cognatorum tutor eſt in ſubſidium ita diſſolutae ſocietatis paternae ſtricte ſic dictae, vt educatio nondum abſoluta ſit. Interim iuri naturali non repugnat eum qui in ſocietate paterna ſtricte ſic dicta patriam poteſtatem habet, denominare alium, qui finita forſan per mortem ſocietate paterna ſtricte ſic dicta educatione nondum abſoluta, in eius locum ſuccedat. Quo facto, ſi is conſentit, ſocietas tutelaris oritur, quae non eſt naturalis ſocietas a natura conſtituta, ſed potius non naturalis. Prius fluit ex §. 545. et poſterius ſine dubio ideo locum habet, quoniam nec liberorum, nec aliorum ius quaeſitum inde laeditur.

§. 557.

Poteſtas tutelaris eſt ius tutori competens in pupillum, et, *prout patria poteſtas, complectitur collegialia ſocietatis tutelaris iura.*

§. 558.

Quae de ſocietate paterna ſtricte ſic dicta natural §. 552. et 554. dicta ſunt, valent etiam de tutelar

ſi dis

diſceſſeris ab iis quae §. 552. *n.* 2. *et* 3. *ratione vſuſ-uctus et operarum monuimus.* Eſt enim ſocietas itelaris continuata ſocietas paterna huius ge-eris. Differentiae dictae ratio vero inde re-etenda, quod tutor pupillum non generauerit, cque alimenta ei non debeat.

IAC. CARPOVII Pr. *de iuris ciuilis prae iure naturali in tutelis adornandis praeſtantia.* Vinariae 1750.

TIT. II.

DE SOCIETATE CONIVGALI.

§. 559.

Societas cuius finis eſt ſobolis procreatio, licitur *ſocietas coniugalis*, vt itaque *educatio ſobo-is procreatae non tam finis coniugii ſit, quam potius, i fine coniugii obtento procreatio ſobolis facta, inde riatur noua ſocietas inter coniuges, quam ſocietatem aternam in reſpectu ad parentes appellamus* (§. 547.).

§. 560.

Licet homines per naturam ſint obligati ad ſobo-lis procreationem, ſi facultate phyſica ad eam neceſ-ſaria ſunt inſtructi, et obligationi ſobolem procreatam educandi ſatisfacere poſſunt, ipſa ſocietas coniugalis tamen non eſt naturalis ſocietas, ſed per coniungen-dorum voluntatem conſtituenda. Ad conſtituendam eam autem nihil aliud requiritur, quam conſenſus prae-ſens in coitum ſobolis procreandae gratia, ita vt, hoc conſenſu declarato, iam adſit haec ſocietas et conſen-

tientes iam ſint coniuges, ex quibus mas dicitur maritus, foemina, vxor, licet ipſa copula carnalis nondum ſit ſequuta, quippe quae non niſi hoc efficit ſocietatem coniugalem haberi pro conſummata. Quoad obligationem ad ſobolis procreationem in genere vid. §. 66. 162 *Introd.* Ad conſtituendam ſocietatem coniugalem vero praeter dictum conſenſum nihil aliud requiri patet per §. 531. Copulam carnalem acceſſiſſe neceſſe eſſe, vt ſocietas coniugalis pro conſummata haberi poſſit, inde patet, quod ea ſit medium ad finem obtinendum neceſſarium, et tum demum pro conſummata habenda ſocietas, ſi ſocii facere incipiunt quod, vt fiat, finis requirit.

IO. WILH. LANGE *de obligatione vtriusque ſexus ad matrimonium.* Halae 1736.

§. 561.

Licet iuri naturali non repugnet introduci ritus nuptiales per quos coniuges ab aliis libidinis cauſa coeuntibus diſtingui poſſunt, ſunt tamen arbitrarii. Ex natura huius ſocietatis enim nullus ritus talis fluit tanquam neceſſarius.

§. 562.

Sponſalia ſunt pactum per quod paciſcentes ſibi inuicem promittunt quod ſocietatem coniugalem inter ſe conſtituere velint, ſeu, pactum de ineunda ſocietate coniugali. *Conſenſus qui in ſponſalibus declaratur* itaque *a conſenſu qui*

ui in conſtituenda ſocietate coniugali declaratur, in eo ffert, quod hic dirigatur in ipſum coitum, ille vero m, ſed in ſocietatem coniugalem futuram, ſicque r ſponſalia promittatur conſenſus praeſentis in ipſum itum aliquando facienda declaratio. Vnde porro uit *ſponſalia ad conſtituendam ſocietatem coniugam abſolute non requiri.*

§. 563.

Pacta dotalia ſeu nuptialia ſunt pacta per quae ıra et obligationes inter coniuges determiantur, *quae itidem ad conſtituendam ſocietatem oniugalem non eſſe neceſſaria per ſe patet.*

§. 564.

Societas coniugalis non niſi vnum marem et vnam oeminam admittit, ſicque monogamia, non polygamia, iue ſit polyandria, ſiue polyginia, eſſe debet. Praetereaque requiritur eos qui in hanc ſocietatem coire volunt 1) *nec abſoluta, nec reſpectiua impotentia conugali laborare;* 2) *ſobolem procreatam educare oſſe;* 3) *conſenſum parentum in quorum poteſtate atria ſunt adeſſe;* 4) *in tali nexu non eſſe ex quo riuntur officia naturalia quae inter coniuges locum abere nequeunt. Ex quo vltimo fundamento oriuntur gradus prohibiti, vltra cognatos, qui ſunt conſanuinei in linea recta conſtituti, tamen non extendendi.* Monogamiam defendo ex eo fundamento, quoniam ea ſunt omittenda quae non poſſunt non diſcordiam inter coniuges gignere, vt taceam plura alia argumenta quibus polygamia oppu-

oppugnari poteſt et ſolet. Caeterum quoad num. 1. vid §. 534.; quoad num 2. §. 545., cum pro illicita habendam eſſe ſocietatem dubio caret, ex qua oriri poſſunt officia naturalia quae explere nequeunt coniuges; quoad num. 3. §. 545., cum hoc ſit praecipua pars educationis; quoad num. 4. ſocietas non poteſt non illicita eſſe quae repugnat officiis naturalibus quae iam adſunt ante initam ſocietatem coniugalem. Aſt, cum officia naturalia quae ſubſiſtere nequeunt inter coniuges, cogitari nequeant praeter reuerentiam quam generatae perſonae debent generantibus, quae non niſi inter cognatos conſanguineos in linea recta locum habet, gradus prohibitos ad hunc caſum reſtringendos eſſe patet.

SIGM. IAC. BAVMGARTEN *de polygamia ſimultanea illegitima inprimis etiam ex numero hominum vtriusque ſexus in tellure fere aequali.* Hal. 1739.

GEORG. BALTH. MASCOV *de polygamia legi naturae repugnante.* Gryph. 1692.

ERN. IO. FRID. MANZEL Diſſ. *qua duo argumenta quod polygamia ſit iuri naturali contraria, examinantur.* Roſt. 1724.

IOH. WOLFG. TRIER Pr. *de pudore naturali in contrahendis matrimoniis inſpiciendo.* Francof. ad Viadr. 1737.

IO. ERNST. SCHVBERTH *de gradibus prohibitis ſecundum ius naturae.* Ien. 1743.

16. CONR. SPANGENBERG *de eo quod iuris naturalis eſt circa gradus prohibitos et eorundem diſpenſationem.* Marb. 1748.

§. 565.

Iura et obligationes quae conſtituta coniugali ſocietate inter coniuges locum habent, differunt prout ſobolis procreatio nondum facta, vel ea iam facta eſt. In priori caſu vnice reſpiciunt praeſtationem debiti coniugalis, ad quam ſibi inuicem obligati ſunt coniuges, ita tamen vt denegatio eius in tribus caſibus ſit licita, nimirum ſi 1) ſobolis procreatio per eam fieri nequit; 2) officiis coniugum erga ſe ipſos repugnat; 3) officiis coniugum erga ſobolem, quae forſan procreari poſſet, ea contrariatur. In poſteriori caſu diſtinguendum an adſint liberi educandi, vel non. Si prius propter accedentem ſocietatem paternam reſpectu parentum vi huius ſocietatis locum habent quae ſupra (§. 548.) dicta ſunt, et tum accedit nouus caſus quo denegatio debiti coniugalis licita, ſi nimirum ea officiis coniugum erga ſobolem iam procreatam contraria. Si poſterius idem eſt acſi ſobolis procreatio non facta, ſicque quae de caſu primo dicta ſunt tum obtinent. Quoad ſecundam huius propoſitionis partem omnia per ſe patent. Quod vero attinet primam eius partem, ex vnico fine ſocietatis coniugalis (§. 559.) fluit, iura et obligationes coniugum quae ex huius ſocietatis natura et indole fluunt, vnice debiti coniugalis praeſtationem concernere. Aſt quae de ipſo hoc debi-

debito dicta ſunt, quoad regulam fluunt ex §. 533.): quoad exceptiones vero, prima fluit ex §. 559. ſecunda ex §. 170. *Intr.* tertia et quae in caſu ſecundo accedit ex §. 545.

IO. BALTH. WERNHER *de obligatione matrimoniali ſecundum legem naturae.* Lipſ. 1698 et inter EIVS Diſſ. iuris naturalis Diſſ. X.

§. 566.

Poteſtas maritalis eſt complexus iurium collegialium ſocietatis coniugalis marito competens.

§. 567.

Secundum ius naturae non datur poteſtas maritalis, ſed potius ſecundum hoc ius ſocietas coniugalis eſt ſocietatis aequalis, nec oriuntur ex coniugali ſocietate ſola et per ſe conſiderata iura et obligationes coniugum inter ſe ratione mutui adiutorii, operum et bonorum, licet, ſi accedit ſocietas paterna per liberorum procreationem, iura et obligationes huius generis ex ſocietate paterna fluentia accedant, quatenus nimirum ex educationis obligatione deduci poſſunt. Pe §. 559. 533.

§. 568.

Conſtituta ſocietas coniugalis diſſoluitur per mortem vnius coniugum (§. 538.), *vt et, viuentibus coniugibus, per diuortium*, quod eſt ſocietatis coniugalis diſſolutio, viuentibus coniugibus facta, a quo differt *repudium*, quod eſt diſſolutio ſponſalium, viuentibus perſonis deſponſatis facta.

§. 569.

§. 569.

Iuſtae repedii cauſae conueniunt cum cauſis ex uibus in genere pacta diſſolui poſſunt, ſupra §. 328. qq. in doctrina de amiſſione iurium et obligationum c pactis recenſitae. Diuortii iuſtae cauſae vero ſunt) mutuus diſſenſus, quatenus ſocietas paterna non-um finita non obſtat; 2) perfidia, quae hic commit-tur per adulterium, quod eſt coitus coniugis um non coniuge; 3) *impotentia ſuperueniens.* Cum nim ſponſalia ſint pacta ex quibus ſocietas oniugalis nondum orta (§. 562.) nulla eſt ra-o cur hic valere nequeant, quae in genere de actis valent. Quod vero attinet diuortium, enerales modi diſſoluendi ſocietatem quam-unque, quatenus ad hanc ſocietatem appli-ari poſſunt, locum habere inde patet, quo-iam ex peculiari fine et reliqua indole huius ocietatis probari nequit, hic alia ſingularia lo-um habere praeter id ſingulare, quod concer-it mutuum diſſenſum.

IO. BALTH. WERNHER *de repudiorum cauſis praeſertim dubiis ſecundum ius naturae.* Lipſ. 1693.

CHRIST. AVG. HANCKEL Epiſt. *de diuortiis iure naturali neutiquam prohibitis.* Gott. 1748.

TIT. III.

DE SOCIETATE HERILI.

§. 570.

Societas herilis eſt ſocietas cuius finis per ope-

operarum praeſtationem ita obtinetur, vt vnu operas ipſas, alter pro iis alimenta, vel in na tura, vel alio modo praeſtet. Is cui pro ali mentis in ſuam vtilitatem operae praeſtantu dicitur *herus*, is qui operas praeſtat, *ſeruus*.

§. 571.

Quum legibus naturalibus non repugne hominem in hominis alterius dominio quoa corpus ſuum eſſe, dum nihilominus is qui i dominio alterius eſt officia erga ſe ipſum ex plere poſſit, et is in cuius dominio alter eſt, e praeſtare poſſit et debeat officia quae hom homini debet; *ſocietas herilis talis concipi poteſt i qua hero competit dominium in corpus ſerui, qual herus proprie dominus, et ſeruus proprie ſeruus ſe ſeruus obnoxius dicitur, vt et talis in qua ſeruus no eſt quoad corpus in dominio heri ſui, qualis herus ſpecie herus, et ſeruus, mercenarius ſeruus ſeu fa mulus dicitur, ita vt maſculinum hic ſemper foem ninum ſub ſe comprehendat.*

IO. MICH. TEVTSCHER *de ſtatu ſeruorum iu naturae licito.* Lipſ. 1722.

§. 572.

Poteſtas herilis eſt complexus iurium coll gialium ſocietatis herilis, quae, quoad ea ſpeciem ſocietatis herilis in qua ſeruus eſt quo ad corpus in dominio heri, ſeu, quae eſt inte dominum et ſeruum obnoxium, dicitur *domini*

pot

teſtas, quoad alteram huius ſocietatis ſpeciem
). 571.) vero *ſtricte ſic dicta poteſtas berilis.*

§. 573.

Societatem herilem non eſſe a natura ſed
cto humano interueniente introductam eſſe
icile patet per §. 188. *Introd.*, hincque patet;
m eſſe ſocietatem non naturalem (§. 477.): *ſed et
m inaequalem eſſe, et poteſtatem herilem penes he-
m, excluſo in totum ab ea ſeruo, eſſe*, heri et ſerui
efinitiones (§. 570.) docent.

§. 574.

Societas herilis inter dominum et ſeruum
bnoxium conſtituitur per *voluntariam hominis
ſeruitutem addictionem* et *captiuitatem*, ſi nimi-
um hoſtem, quem necare poſſemus, dominio
oſtro quoad corpus ſubiicimus (§. 397. *Intr.*).
ocietas herilis inter herum in ſpecie ſic dictum
t ſeruum mercenarium vero conſtituitur per
onſenſum praeſentem in praeſtationem ope-
arum ab vna, et alimentorum ab altera parte,
uem plerumque antecedit locatio conductio
perarum (§. 284.).

§. 575.

*Iura et obligationes quae in ſocietate berili inter
ominum et ſeruum locum habent, ex doctrina de domi-
io* (§. 198. *ſeqq. Intr.*), *quae vero inter berum in ſpecie
c dictum et ſeruum mercenarium obtinent, ex conſen-
us, per quem ſocietas conſtituta, qualitate aeſtimari
lebent.* Vi definitionum harum ſocietatum (§.
571.).

571.). *Modo, quod attinet dominum et ſeruum obnoxium, dominus meminerit quod ſeruus ſit homo ſibi natura aequalis, cui debet officia quae homo homini debet.*

§. 576.

Hinc fluit: 1) *ſeruum eſſe iurium capacem, ſicque non ad res, ſed ad perſonas referri debere* (§. 91. 100. *Introd.*), *et dominium domini in ſeruum et in rem ſuam in eo differre, quod prius per officia quae dominus ſeruo debet ſit diminutum iis iuribus in dominio contentis, quae ſaluis his officiis locum habere nequeunt;* 2) *dominum ſeruum vendere, donare, legare poſſe, vt et per eum acquirere, immo ſobolem ancillae neutiquam eſſe liberam, ſed in dominio eius qui eſt ancillae dominus. Vnde praeter ſpontaneam in ſeruitutem addictionem et captiuitatem* (§. 574) *etiam per natiuitatem ſeruitus conſtituitur.*

GOTTL. CHRIST. BESACK *de ſobole ſeruorum libera.* Lipſ. 1754.

§. 577.

Societas herilis diſſoluitur, quoad eam quae inter dominum et ſeruum eſt, per *manumiſſionem*, quae eſt dimiſſio e dominica poteſtate, et *mortem ſerui, non domini, quippe cuius haeres continuat hanc ſocietatem* (§. 445.): quoad eam quae inter herum in ſpecie ſic dictum et ſeruum mercenarium eſt, per *mortem tam ſerui mercenarii, quam domini*, cum haec ſocietas nec actiue nec paſſiue in haeredes tranſeat (§. *cit.*); *temporis lapſum*

ſi a

i ad certum tempus inita, et ſi propter perfidiam vnius alter ſocietatem amplius continuare non vult (§. 539.).

CHRIST. FRID. SCHOTT *de ſtatu ſeruorum apud Romanos num iuri naturae fuerit conformis.* Tub. 1755.

(B)

DE COLLEGIIS.

§. 578.

Abſolutis ſocietatibus ſimplicibus duorum membrorum de collegiis agendum (§. 543.) *quae quidem plerumque aequales ſocietates ſunt, aſt nihil obſtat quo minus et hae ſocietates inaequales ſint.* Vi definitionum collegii et ſocietatis inaequalis (§. 483.478.).

§. 579.

Collegia differunt inter ſe pro finis diuerſitate, pro qua diuerſitate variae concipi poſſunt ſpecies. Et homines plures quam duo extra rempublicam viuentes enim ad varios a ſe inuicem diuerſos fines, qui ab iis obtineri poſſunt, ſe conſociare poſſunt. Hinc oriuntur *collegia litteraria varia, collegia mercatorum, opificum* etc.

§. 580.

In genere vero hi fines a ſe inuicem in eo differunt, quod alii ſint liciti, alii illiciti, vnde oritur collegiorum generalis diuiſio in *licita* et *illicita* collegia. Illicita collegia vero vel ideo

illicita ſunt, quoniam finis officiis collegarum erga ſe ipſos, vel quoniam officiis collegarum erga alios repugnat.

§. 581.

Homines in ſtatu naturali viuentes quaecunque collegia licita erigere poſſunt, ita vt ab eorum, qui collegium erigunt, arbitrio dependeat cum quibus ſe conſociare velint, et reliqui homines non habeant ius contradicendi, aut receptionem in numerum collegarum vrgendi. Vi libertatis naturalis in qua hi homines viuunt (§. 188. *Introd.*).

§. 582.

Si homines in libertate naturali viuentes erigunt collegium illicitum, quod ideo illicitum quoniam finis repugnat officiis collegarum erga ſe ipſos, alii homines hoc pati debent. Licet enim tale collegium legibus repugnet, alii tamen non laeduntur per iſtiusmodi collegii erectionem, hinc nullum adeſt fundamentum ex quo defendi poſſet iis competere ius contradicendi, aut poſtulandi vt diſſoluatur.

§. 583.

Si homines extra rempublicam viuentes erigunt collegium illicitum ideo quoniam finis repugnat officiis erga alios et quidem perfectis, reliqui homines habent ius contradicendi et poſtulandi vt diſſoluatur, ſique ſponte hoc non fit quaecunque media etiam violenta adhibere licet ad eum finem vt tale collegium extinguatur; quod ſecus ſi non niſi imperfectis officiis erga alios repugnat. Per §. 182. *Intr.* §. 584.

§. 584.

Caeterum, quum ad ſingulas collegiorum ſpecies deſcendere non liceat, reliqua generalia quae de collegiis tradi poſſunt vero redeunt ad applicationem principiorum generalium de ſocietatibus § 464. *ſeqq.* traditorum, quae nullis difficultatibus inuoluta, plura de collegiis non addo, niſi quod, cum dentur quaedam aequalia collegia quae ratione internae conſtitutionis ſingularia quaedam habent, et irregularia ideo dici poſſent, de iis quaedam addenda.

§. 585.

Ad talia collegia referri poſſunt ea quae iura ſua collegialia certis membris ita commiſerunt, vt haec nomine omnium ea exerceant. Quodſi itaque tale datur collegium, illa membra, quibus iurium collegialium exercitium nomine omnium commiſſum, peculiare conſtituunt collegium, quod *repraeſentatitium collegium* appellari poſſet, et tum, *quae de toto collegio valent, ad collegium repraeſentatitium applicanda.* Sic e. g. ius votandi non ſingula membra, ſed membra collegii repraeſentatitii habent, quorum vota ſunt inſtar votorum omnium; concluſum collegii repraeſentatitii eſt concluſum totius collegii etc.

§. 586.

Porro ad talia collegia referri poſſunt ea

inter quorum membra iura collegialia ita ſunt diſpartita vt nonnullis membris hoc vel haec, nonnullis illud vel illa collegialia iura expedienda commiſſa. Quodſi itaque talis eſt interna collegii conſtitutio, quaelibet particularis conſociatio nonnullorum membrorum dici poteſt *deputatio*, *quarum quaelibet itaque non repraeſentat totum collegium*, *ſed potius collegio manet ſubiecta in rebus collegii*, ſicque e. g. deputationis concluſum non eſt collegii, cuius deputatio eſt, concluſum. Aſt, cum tamen quaelibet deputatio ſit ſocietas, *in iis quae deputationi commiſſa ſunt ad eam applicanda ſunt quae de ſocietatibus in genere dicta ſunt.*

(b)

DE SOCIETATIBVS COMPOSITIS.

§. 587.

Abſolutis ſocietatibus ſimplicibus ſequuntur compoſitae ſocietates (§. 542.), quae ſunt ſocietates compoſitae 1) *minores*, 2) *maiores* (§. 483.) de quibus ſigillatim agendum, praemiſſis iis quae de his ſocietatibus in genere notanda ſunt.

§. 588.

Vt ſocietas compoſita ſocietas dici poſſit, *ſufficit membra eius eſſe ſocietates*, *licet ſint diuerſi generis*, *et praeter haec membra alia adſint quae ſunt perſonae ſingulares*. Per definitionem §. 483.

§. 589.

§ 589.

Ad ſocietatem compoſitam requiritur duas vel plures ſocietates ad finem quendam communem obtinendum ſe coniungere. Societas compoſita enim eſt ſocietas cuius membra ſunt aliae ſocietates, ſocietas vero ſine fine communi ad quem obtinendum membra ſe coniungunt cogitari nequit (§. 465.).

§. 590.

Hinc fluit: 1) *non omnes ſocietates in quibus membra ſocietatis compoſitae viuunt, eſſe eas ex quibus ſocietas compoſita componitur;* 2) *ſi eaedem perſonae ſingulares ſe coniungunt ad obtinendos fines a ſe inuicem diuerſos, plures quidem exiſtere ſocietates in quibus viuunt, at non adeſſe compoſitam ſocietatem, ſed potius tum vnam ſocietatem alteram peruadere.* Vt itaque *nec omnes ſocietates in ſocietate, nec ſocietates quarum vna peruadit alteram ſocietatem, compoſitam ſocietatem conſtituant.*

(A)

DE SOCIETATIBVS COMPOSITIS MINORIBVS.

§. 591.

Societatum compoſitarum minorum praecipuae ſpecies ſunt domus et corpora. *Domus* ſeu *familia* vero eſt ſocietas ex paterna, herili et coniugali, vel ſaltim duabus harum, compoſita, et dicitur in priori caſu *perfecta*, in poſteriori

riori vero *imperfecta*. *Corpus* vero eſt ſocietas compoſita ex variis collegiis.

TIT. I.
DE DOMO.

§. 592.

Domus ſeu familiae finis eſt, vt fines ſocietatum, ex quibus domus compoſita eſt, facilius et promptius adſequi poſſint. Vi definitionis §. praec. et §. 589.

§. 593.

Domus ſeu familia conſtituitur ſi iam exiſtente vna ſocietatum quae domum conſtituunt, altera accedit. Itidem vi definitionis domus.

§. 594.

Poteſtas domeſtica eſt complexus iurium collegialium domus, et id familiae membrum quod habet poteſtatem domeſticam dicitur, ſi eſt maſculini ſexus, *paterfamilias*, ſi vero eſt foeminini ſexus, *materfamilias*. Reliqua familiae membra vero *domeſtici* appellantur.

§. 595.

Poteſtas domeſtica eſt penes coniuges, ſi domus eſt perfecta, vel, ſi imperfecta eſt, penes ſuperſtitem coniugem ſolum. Cum enim coniuges, quoad paternam ſocietatem, poteſtatem patriam, quoad herilem vero, poteſtatem herilem, habeant, et, ſi vnus coniugum ſupereſt ſocietate coniugali diſſoluta, is ſolus vtramque poteſtatem habeat (§. 551. 573. 570.) iis vel ei ex his compoſi-

poſitam poteſtatem domeſticam competere neceſſe eſt.

§. 596.

Eſt itaque familia ſeu domus 1) *ſocietas inaequalis* (§. 478.); 2) *coniuges ſunt paterfamilias et materfamilias in hac ſocietate* (§. 594.).

§. 597.

Iura et obligationes quae ex hac ſocietate, praeter eas quae ex ſimplicibus ſocietatibus eam conſtituentibus iam adſunt, oriuntur, praeſertim eo tendunt vnam ſimplicium ſocietatum non confundi cum altera. Vi finis huius ſocietatis (§. 592.), ex quo iura et obligationes ſociorum determinari debent.

§. 598.

Domus ſeu familia diſſoluitur, ſi diſſolutae ſunt ſimplices ſocietates eam conſtituentes, ita vt non niſi vna ſuperſit. Vi definitionis diſſolutionis ſocietatis (§. 536.) et ſocietatis domeſticae (§. 592.).

TIT. II.

DE CORPORIBVS.

§. 599.

Corpora ſupra §. 591. definita differunt quidem pro finis diuerſitate, aſt hic haec differentia non niſi eatenus attendi meretur, quod finis corporis vel talis finis ſit in quem influunt fines collegiorum ita, vt, quorſum tendunt fines collegiorum in particulari, eo generaliter ten-

 dat

dat finis corporis, ſicque fines collegiorum ſin fini corporis ſubordinati, vel non.

§. 600.

Collegia in deputationes diuiſa quorum §. 586 *mentio facta, in multis quidem cum corporibus conueniunt, aſt tamen talia collegia et corpora differunt inter ſe in eo, quod* 1) *corporis membra ſint ipſa collegia ex quibus corpus compoſitum eſt, non vero collegii membra ſint ipſae deputationes ſed potius ſingulares perſonae;* 2) *corpus habeat finem a finibu ſingulorum collegiorum illud conſtituentium diuerſum licet fines ſingulorum collegiorum ſubordinati eſſe poſſint fini totius corporis: aſt collegium in deputatione diuiſum non habeat finem a finibus deputationum diuerſum, ſed potius deputationes conſtituantur vt expediant ſibi commiſſum negotium collegiale, vel plura negotia collegialia ſibi commiſſa, ſicque finis deputationis ſit pars finis totius collegii;* 3) *corpus oriatur pe coalitionem collegiorum, collegium in deputatione diuiſum per ſeparationem et diſtributionem collegarum in deputationes.* Quae ſingulae differentiae e corporis et talis collegii notionibus deducendae ſunt (§. 591. 586.).

§. 601.

Caeterum generalia de ſocietatibus principia §. 464. *ſeqq.* ad corpora applicanda ſunt vb notari meretur, quoad 1) *conuentum corporis, au ſingulorum collegiorum quae corpus conſtituunt ſingul membra conuenire, aut ex ſingulis collegiis nonnulli*

ve

*el vnum tantum membrum, quae vel quod totum col-
gium repraeſentat*; indeque conuentus corpo-
is in priori caſu *veros*, in poſteriori *repraeſen-
titios* dici; 2) *vota, aut ſingula membra collegio-
um quae corpus conſtituunt votum habere in conuen-
bus corporis, aut quodlibet collegium non niſi vnum
otum habere, tumque in primo caſu vota virilia, in
oſteriori curiata eſſe* (§. 496.), *et in hoc caſu vo-
um curiatum cuiuslibet collegii eſſe, in relatione ad
ollegium cuius votum eſt, concluſum eius, in reſpectu
d concluſum corporis vero votum* (§. 492.) 3) *iura
ollegialia, ſingulorum collegiorum iura collegialia eſſe
i reſpectu ad corpus iura ſingulorum* (§. 468.); 4)
*irectorium, varia concipi poſſe directoria ſi ſocietas eſt
orpus*, veluti directorium totius corporis, quod
irectorium generale dicitur, et ſingulorum colle-
iorum directoria, quae *directoria ſpecialia* ap-
ellantur (§. 484.).

(B)

DE SOCIETATIBVS COMPOSITIS MAIORIBVS.

§. 602.

Societates compoſitae maiores oriuntur
uxta ſuperiora (§. 483.) ex ſocietatum compo-
itarum noua conſocatione ad finem quendam
communem, *ſi* itaque *plures ſocietates compoſitae
minores, veluti plures familiae, vel plura corpora vires
coniungunt ad finem quendam communem obtinendum,
inde oritur ſocietas compoſita maior.*

§. 603.

§. 603.

Quum porro ſocietatis compoſitae maioris notio in omnes ſocietates cadat, quarum membra ſunt ſocietates compoſitae, ſicque perinde ſit ſiue ſint compoſitae minores, ſiue maiores: *ſi quaedam ſocietates compoſitae maiores ſe iterum coniungunt ad finem quendam communem obtinendum, et hae ſocietates quae inde oriuntur ſocietates compoſitae maiores ſunt*, veluti plurium familiarum vel corporum, quae in vnam ſocietatem coaluerunt, noua coniunctio.

§. 604.

Societatum compoſitarum maiorum praecipuae ſpecies ſunt partim respublicae ſeu ciuitates, partim tales ſocietates quae praeſupponunt homines in rebuspublicis viuentes. Ne itaque limites iurisprudentiae naturalis ſtricte ſic dictae hic tradendae transgrediar, ſpecialia de his ſocietatibus ad partem tertiam huius ſyſtematis remitto.

(II)

DE ACQVISITIONE, CONSERVATIONE PERSECVTIONE ET AMISSIONE IVRIVM ET OBLIGATIONVM QVAE A STATIBVS DEPENDENT.

§. 605.

Abſoluta doctrina de ſtatibus ipſis, ſecundum ea quae §. 426. dicta ſunt alterum caput in iure perſonarum euoluendum ſequitur, quod iuri-

irium et obligationum quae a ſtatibus depen-
et acquiſitionem, conſeruationem, perſecutio-
em et amiſſionem concernit.

§. 606.

Quod itaque attinet I) *acquiſitionem*, ea fit du-
lici modo, vel *cum ipſo ſtatu*, vel *ſtatu ipſo non*
quiſito iura et obligationes quaedam, quae a ſtatu
uodam dependent, in alium tranſeunt. Prior ac-
uiſitio iterum duplici modo concipi poteſt,
uum ſtatus vel *acquiratur dum conſtituitur* ſiue
er naturam, vel per hominis factum; vel *iam*
onſtitutus ab vno in alterum transferatur. Quo-
nodo vero quilibet ſtatus conſtituatur ex ante-
edentibus conſtat, et an ſtatus talis ſit, vt poſ-
t in alium transferri, ex ſingulorum ſtatuum
atura et indole diiudicandum. Poſterior ac-
uiſitio vero fit iis modis quibus in genere §.
64. *ſeqq. Introd.*) acquiſitio fit, modo iuris ſeu
bligationis a ſtatu dependentis natura non ſit
lis vt in alium tranſire nequeat.

§. 607.

Ratione II) *amiſſionis* iurium et obligationum
uius generis, eam fieri per ſtatus ipſius, a quo
ependent, amiſſionem per ſe patet. Quomodo
ero ſtatus amiſſio fiat ex antecedentibus con-
at. Aſt praeterea fieri poteſt ſaluo ſtatu ipſo
oc vel illud particulare ius, ſeu hanc vel illam
articularem obligationem amitti, id quod fit
er modos amittendi communes §. 414. *ſeqq. Intr.*

§. 608.

§. 608.

Sequitur III) *perſecutio* iurium et obligatio-num huius generis, vbi vel *de ſtatu ipſo quaeſtio eſt* vel *tantum de iuribus et obligationibus a ſtatu depen-dentibus*. In priori caſu perſequutio iurium et obligationum vel eo tendit vt *alter agnoſcat ſta-tum quem nobis competere defendimus*, vel eo tendit vt *alter ſtatum, quem ſibi tribuit, ſibi non tribuat*. Semper tamen et haec perſecutio iurium et obli-gationum per bellum fit, quod, ſi de ipſo ſtatu quaeſtio eſt, *praeiudiciale* dici poſſet, et in *affirma-tiuum* et *negatiuum* diuidi, pro dicta diuerſitate quae tum, ſi quaeſtio eſt de ſtatu ipſo, locum habet. Caeterum et de bello huius generis va-lent, quae de bello in genere §. 487. *ſeqq. Introd.* dicta ſunt.

§. 609.

Tandem IV) *conſeruatio* iurium et obligatio-num a ſtatibus dependentium, vel ita fit vt *ipſa iura ipſasque obligationes quae a ſtatu dependent con-cernat*, vel ita vt *ad ipſius ſtatus* conſeruationem tendat. Conſeruatio prioris generis fit modis conſeruandi communibus, tam violentis, quam non violentis, quae tam in ſtatu naturali quam ciuili locum habent §. 523. *ſeqq. Introd.* Poſte-rioris generis conſeruatio, quatenus poſſibilis eſt, fit eodem modo. Aſt poſſibilis non eſt, quo-ties ſtatus imminens amiſſio vel a natura eſt, vel ab eo qui ius habet nos ſtatu quodam priuandi

LIBE

LIBER II.
IVRISPRVDENTIA NATVRALIS STRICTE SIC DICTA THEORETICA SECVLARIS FEVDALIS.

GOTTL. SAM. TREVER *iuris feudalis vniuerſalis paedia* in Parergis Goetting. T. 1. L. 3. n. 6. Separatim quoque excuſa exſtat haec paedia. Frf. et Lipſ. 1753. 8.

REGN. ENGELHARD *ſpecimen iuris feudorum naturalis, methodo ſcientifica conſcriptum.* Lipſ. 1742. 4.

L. F. LANGEMACK *allgemeines Lehnrecht, aus philoſophiſchen Gründen erwieſen.* Potsd. 1747. 8.

IO. CHRIST. KNAVS *natürliches Lehnrecht als ein allgemeines aus den Gründen des Rechts der Natur hergeleitet.* Stuttg. 8.

§. 610.

Iurisprudentiam naturalem ſtricte ſic dictam theoreticam ſecularem in allodialem et feudalem abire, et allodialem nunc abſolutam, feudalem excipere, ſupra §. 1. monuimus. Sequitur itaque liber ſecundus qui ſiſtit eam iurisprudentiae naturalis ſtricte ſic dictae theoreticae ſecularis partem quae feudalis dicitur. Poſſunt vero, quas haec iurisprudentiae pars ambitu ſuo complectitur veritates, commode ad tres reduci claſſes, quarum *prima* generalia de feudis principia ſiſtit; *ſecunda* veritates de

eo

eo quod iuſtum eſt circa feudum conſtituendum complectitur; *tertia* circa doctrinas feudum conſtitutum concernentes verſatur.

SECTIO I.

GENERALIA DE FEVDIS PRINCIPIA.

§. 611.

Dantur res quarum dominium in vtile et directum diuiſum (§. 62.), earumque ſpecies eſt feudum pro re ſumtum, qui ſignificatus eſt optimus, licet illud ſaepius pro iure, et praeſertim dominio vtili, ſumi negari nequeat.

§. 612.

Fidelitas in genere, eſt curatior praeſtatio officiorum erga alios, vt itaque *fidelitas per ſe conſiderata non ſit officium, ſed potius modus ſit quo fit officiorum expletio.* Poſſunt tamen ex ipſorum vi fidelitatis praeſtandorum officiorum determinatione, variae a ſe inuicem maxime diuerſae concipi fidelitatis ſpecies. Quodſi itaque ponis vnum hominem alteri ſe in genere ad praeſtationem officiorum, quae alias officia humanitatis ſunt, perfecte obligare, ita, vt tam in horum, quam aliorum ſpeciatim ſuſceptorum officiorum praeſtatione fidelis eſſe velit, inde oritur *fidelitas feudalis*, quae itaque eſt curatior praeſtatio officiorum, quae in genere imperfecta ſunt, tanquam perfectorum, et aliorum officiorum ſpeciatim ſuſceptorum.

§. 613.

§. 613.

Feudum eſt res cuius dominium vtile, retento directo, alteri conceſſum ſub conditione fidelitatis feudalis, *quae conditio illud diſtinguit ab emphyteuſi aliisque rebus quarum dominium itidem in vtile et directum diuiſum* (§. 62.). Feudi oppoſitum vero eſt *allodium*, ſub quo nomine venit quaelibet res quae feudum non eſt.

§. 614.

Sunt itaque *determinationes quae ſaluo feudo abeſſe nequeunt, ſeu ſine quibus feudum concipi nequit,* 1) *adeſſe rem;* 2) *eam eſſe in dominio;* 3) *hoc dominium eſſe diuiſum in directum et vtile;* 4) *vtile dominium acquiſitum eſſe ab alio retento ab eo directo;* 5) *directum penes vnum, et vtile penes alterum eſſe, ſub conditione fidelitatis feudalis.*

§. 615.

Feudi ſubſtantialia ſeu *eſſentialia* dicuntur feudi determinationes quae ſaluo feudo abeſſe nequeunt. Reliquae determinationes vero quae adeſſe et abeſſe poſſunt ſaluo feudo, ſi ordinarie adſunt, dicuntur *naturalia feudi*, ſi ordinarie abſunt, *accidentalia feudi.*

§. 616.

Quum itaque ea quae ad feudi ſubſtantialia non pertinent adeſſe et abeſſe poſſint ſaluo feudo, patet *feudi ſpecies oriri ſi quoad ea, quae ad ſubſtantialia feudi non pertinent, aliquid determinatur.*

Quodſi itaque determinatur feudum tale eſſe vt praeter ſubſtantialia omnia naturalia adſint, omnia accidentalia vero deſint, inde oritur ſpecies feudi quae dicitur *feudum proprium*. In caſu oppoſito vero oritur feudum quod dicitur *improprium*, ſicque *improprium feudum oritur duplici modo dum improprium ſit, ſi vnum vel plura naturalia deſint tantum, nullum accidentale vero adeſt, vt et, ſi, praeter naturalia omnia quae adſunt, adeſt accidentale.*

§. 617.

Licet ſecundum leges naturales determinari poſſit quae ſint feudi ſubſtantialia, quae non, ſecundum eas tamen determinari nequit quae inter ea, quae ad ſubſtantialia non pertinent, ad naturalia, quae vero ad accidentalia referri debeant. Vi principii iuris naturae §. 352. *Introd.* et def. naturalium et accidentalium feudi §. 615.

§. 618.

Dominium directum rei quae feudum eſt dicitur *dominium directum feudale*, et dominium vtile rei quae feudum eſt, *dominium vtile feudale*. Is vero penes quem eſt dominium directum feudi *dominus feudi directus*, et is penes quem eſt dominium vtile feudi, *vaſallus* appellatur. *Eſt* itaque *dominium feudi directum in quaſi dominio domini feudi, et vtile in quaſi dominio vaſalli, res ipſa vero quae feudum eſt, in dominio dimidiato domini feudi et vaſalli eſt* (§. 215. *Introd.*).

§. 619.

Qualitas feudalis eſt ea rei qualitas, quod va- ſallus eam habeat a domino feudi ſub condi- ione fidelitatis feudalis.

§. 620.

Rem eſſe feudum abſolute non praeſumitur, ſique onſtat eam feudum eſſe, qualitatem feudalem habent es ipſa cuius dominium in vtile et directum diuiſum t vtile vaſalli dominium. Aſt 1) *fructus ejus rei;* :) *poſſeſſio eius;* 3) *dominium directum eius;* 4) *pecu- ia ad feudum emendum deſtinata aut ex feudo ven- lito redacta, qualitatem feudalem non habent.* Feu- lum abſolute non praeſumi inde eſt, quoniam acti eſt rei dominium in vtile et directum ſub onditione fidelitatis feudalis eſſe diuiſum (§. 198. *Introd.*). Reliqua fluunt ex definitione jualitatis feudalis (§. *praec.*).

§. 621.

Feuda non ſunt a natura, ſed potius facto humano nteruenienite introducta, id quod factum eſſe legibus aturalibus non repugnat. Quando vero, qua occa- ione, quo fine, a quibus feuda primum introducta int in iure feudali naturali non niſi eatenus determi- ari poteſt, quod demum, poſtquam per introductio- em dominii communio primaeua ſublata, introduci otuerint. Id quod inde patet, quod non do- ninium ſed communio primaeua a natura ſit §. 198. *Introd.*), feudum vero concipi nequeat

Q 2 ſine

ſine dominio (§. 614.) et dominus de re ſua pro arbitrio diſponere poſſit (§. 199. *Introd.*).

§. 622.

Inveſtitura feudalis eſt actus quo dominus feudi, dominium vtile feudi in vaſallum fidelitatem promittentem transfert, quae *pura* dicitur, ſi illud fit de praeſenti, *euentualis* vero, ſi in certum euentum fit; et *propria* ſi feudum ſimul traditur, *impropria* ſeu *abuſiua* vero, ſi non.

§. 623.

Licet per inueſtituram ſemper dominium vtile in vaſallum transferatur ſiue pure, ſiue euentualiter fiat, ſicque in hoc ſenſu ſemper acquiſitiua ſit, haec tamen concipi poteſt differentia, quod vel talis inueſtiatur qui nondum inueſtitus eſt, quo caſu inueſtitura dicitur *prima*, vel inueſtiatur, qui iam inueſtitus eſt, quo caſu inueſtitura dicitur *repetita*. Prima inueſtitura vero vel fit cum re quae feudum nondum eſt, tumque *originaria* ſeu *conſtitutiua* dici poteſt, vel cum re quae feudum iam eſt, tumque *ſtricte acquiſitiua* appellatur.

§. 624.

Qui inueſtitur de feudo cum quo nondum inueſtitus eſt, vel tantum pro ſua perſona inveſtitur, vel per eum ſimul alii, veluti deſcendentes eius, inueſtiuntur. In vltimo caſu is qui ipſe et immediate inueſtitus eſt, dicitur *primus feudi acquirens*, ii vero qui per eum mediate

diate inueſtiuntur, *ſub primi acquirentis inueſtitura comprehenſi.*

§. 625.

Laudemium feudale eſt pecunia a vaſallo domino feudi directo pro inueſtitura ſoluenda. *Iuramentum fidelitatis* eſt iuramentum promiſſorium quo vaſallus promittit fidelitatem feudalem.

§. 626.

Prout ius naturae ſolennitates inueſtiturae ignorat, ita et ex feudi et inueſtiturae natura non fluit laudemium a vaſallo eſſe ſoluendum, et praeciſe iuramentum fidelitatis ab eo eſſe praeſtandum. Vnde hic plura de inueſtitura in genere tradi nequeunt, et reliqua, quae ſingulas ſpecies concernunt, infra ſuis locis addenda.

§. 627.

Praeſcriptio feudalis dicitur praeſcriptio feuda concernens, et prout in genere praeſcriptio vel *acquiſitiua*, vel *extinctiua* eſt, acquiſitiua vero vel *conſtitutiua*, vel *acquiſitiua in ſpecie ſic dicta* ſeu *translatiua* (§. 400. *et* 437. *ſeqq. Intr.*) idem etiam de praeſcriptione feudali valet.

§. 628.

Generalia de praeſcriptione principia §. 400. *et* 437. *ſeqq. Intr. obuia ſimpliciter applicari poſſunt ad feudorum praeſcriptionem, ita vt praeſcriptio feudalis non habeat ſingularem naturam et indolem.* Quae vero ratione caſuum in quibus ſingulae ſpecies

locum habent, earumque effectuum notanda, infra ſuis locis tradenda.

SECTIO II.
DE FEVDI CONSTITVTIONE.

§. 629.

Abſolutis generalibus de feudis principiis de *feudi conſtitutione* agendum (§. 618.). Fit ea dum dominium rei in vtile et directum ita diuiditur ſub conditione fidelitatis feudalis, vt vnus retento dominio directo in alterum dominium vtile transferat, isque qui illud transfert dicitur feudum *concedere*, *qui* itaque *feudo conſtituto fit dominus feudi directus* (§. 618.): is vero in quem illud transfertur dicitur *feudum accipere*, *qui* itaque *feudo conſtituto fit vaſallus* (§. *cit.*).

§. 630.

Infeudatio eſt actus per quem fit feudi conſtitutio, ſicque *infeudando fit ſimul feudi conceſſio ab vna, et acquiſitio ab altera parte.*

§. 631.

Infeudationis variae concipi poſſunt ſpecies, quae ex duplici oriuntur fundamento, nimirum diuerſitate dominii rei quae infeudatur, et rei ipſius quae infeudatur. Ex primo fundamento infeudatio abit in eam quae fit praeuia oblatione in feudum, et quae fit per dationem in feudum, prout nimirum vel in re quae erat vaſallo propria ea lege domino conceſſa

eſſa ab accipiente, vel in re quae erat domino propria, feudum conſtituitur. Ex ſecundo fundamento vero eſt vel *infeudatio prima*, vel *reinfeudatio*, prout res quae infeudatur vel nunquam feudum fuit, vel feudum olim fuit, aſt tale eſſe deſiit. Infeudatio prima eſt vel *infeudatio in ſpecie dicta*, vel *ſubinfeudatio*, prout res quae infeudatur, vel non eſt, vel eſt dominium vtile feudi, haecque vel *ſubinfeudatio in ſpecie ſic dicta* ſeu *datio in ſubfeudum* eſt, vel *obfeudatio* ſeu *oblatio in ſubfeudum* eſt, prout vaſallus dominium vtile feudi vel alii in feudum dat, vel ei ab alio, cui ea lege conceſſum, in feudum datur.

§. 632.

Pro diuerſitate infeudationis differunt feuda per eam orta. Ex prima diuiſione enim oriuntur feuda *oblata* et *data*, prout orta ſunt vel per infeudationem praeuia oblatione factam, vel per infeudationem mediante datione factam. Ex ſecunda vero *feuda prima* et *ſubfeuda*, prout vel ex infeudatione prima, vel ex ſubinfeudatione orta ſunt.

§. 633.

Secundum ius naturae nil refert ſiue feuda ſint data, ſiue oblata, ſiue prima, ſiue ſubfeuda, et tam prima feuda, quam ſubfeuda, data et oblata feuda eſſe poſſunt. Diuerſitas ſubiecti penes quod dominium plenum rei infeudatae ante infeudatio-

nem fuit, et rei ipſius quae infeudatur enim, per ſe nullam iurium et obligationum differentiam operari poteſt, et cum dominium vtile ſit res in dominio vaſalli exiſtens et ſubfeuda vel data, vel oblata eſſe patet per §. 631.

§. 634.

In feudum conceſſio ſemper inuoluit alienationem, et in feudum accipere acquiſitionem; licet, ſi infeudatio praeuia oblatione ſit, in effectu concedens feudum lucretur, et in reinfeudatione alienatio iam per primam infeudationem facta tantum reiteretur. Vi definitionis infeudationis (§. 630.) conceſſionis in feudum et in feudum accipere (§. 629.) vt et primae infeudationis et reinfeudationis (§. 631.).

§. 635.

Reliqua de infeudatione monenda redeunt ad tria ſumma capita, doctrinam ſcilicet de 1) *modis quibus fit;* 2) *rebus quae poſſunt infeudari;* 3) *perſonis quae poſſunt feudum concedere et accipere,* de quibus nunc ſigillatim agendum.

TIT. I.

DE MODIS QVIBVS INFEVDATIO FIT.

§. 636.

Infeudatio ſiue ſit prima ſiue reinfeudatio, illaque ſiue in ſpecie ſic dicta ſiue ſubinfeudatio, vt et, ſiue fiat praeuia oblatione in feudum, ſiue ea non praeuia, fit duplici modo vel per inueſtituram puram feudi

con-

*onſtitutiuam, vel per praeſcriptionem feudi conſtitu-
tiuam.* Voluntate domini rei quae infeudatur enim eam fieri neceſſe eſt, quam vel expreſſam, vel tacitam ſeu praeſumtam eſſe neceſſe eſt. Prior adeſt in inueſtitura, poſterior in praeſcriptione conſtitutiua.

§. 637.

Si infeudatio per inueſtituram feudi conſtitutiuam fit, pactum inter futurum dominum et vaſallum de ſuſcipiendo nexu feudali initum praecedere neceſſe eſt, quod dicitur pactum feudale, *per quod etiam determinari debent ſpecialia officia inter dominum et vaſallum quae ex natura feudi non fluunt. Aſt ſolum hoc pactum ad infeudationem non ſufficit, nec ſufficit inueſtitura euentualis, licet perinde ſit ſiue ſit propria, ſiue abuſiua.* Quum enim inuito vaſallo obtrudi nequeat dominium vtile feudi pactum praecedere debet. Et quum per infeudationem feudum conſtituatur (§. 630.), feudum vero non ſit conſtitutum, niſi dominium vtile ſit penes vaſallum, patent vi §. 77. *ſeqq.* reliqua propoſitionis membra.

§. 638.

Ad praeſcriptionem feudi conſtitutiuam requiritur rem allodialem poſſideri vt feudum a diuerſis perſonis, quarum vna ſe gerit pro domino feudi directo, altera pro vaſallo, tumque accedere generalia praeſcriptionis acquiſitiuae requiſita: ita, vt perinde ſit, ſiue allodium quod ita poſſidetur ſit eius qui ſe gerit pro domino, ſiue eius qui ſe gerit pro vaſallo, ſiue tertii. Per §. 627.

TIT. II.
DE REBVS QVAE POSSVNT INFEVDARI.

§. 639.

Vt res in ſe ſpectata talis ſit quae poteſt infeudari, nihil aliud requiritur quam eam non eſſe rem nullius. Omnia enim quae requiruntur ad feudum locum habere poſſunt quoad reliquas res (§ 614.).

§. 640.

Poſſunt itaque *infeudari tam corporales quam incorporales res, tam mobiles quam immobiles res, immo, licet res talis ſit quae vſu conſumitur, infeudari poteſt, et, licet res nullius ipſa infeudari nequeat, ius occupandi res nullius proprium tamen infeudari poteſt.*

§. 641.

Si res in ſe ſpectata ad infeudandum habilis eſt, vt praeciſe ab hoc vel illo in feudum concedi poſſit, requiritur eum eſſe dominum rei quae in feudum conceditur et alienandi facultatem habere. Inuoluit enim infeudatio reſpectu feudum concedentis alienationem (§. 634).

§. 642.

Infeudari itaque *nequeunt res alienae et alienari probibitae, aſt condominus ratam ſuam rei communis inuito condomino infeudare poteſt.*

TIT.

TIT. III.
DE PERSONIS QVAE FEVDVM CONCEDERE ET ACCIPERE POSSVNT.

§. 643.

Si quis habet tales res quae in ſe ſpectatae et in ſpecie ab eo, qui infeudare vult eas, infeudari poſſunt, licet ei tales res in feudum concedere, ita, vt ſecundum ius naturae non dentur perſonae ad feudum concedendum inhabiles, ſed potius quilibet dominus feudi eſſe et vaſallos habere poſſit; niſi ſupponatur fidelitatem continere officia quae huic vel illi praeſtari illicitum eſſet, quo caſu iuris naturalis eſt eos, quibus talia officia praeſtari illicitum eſt, feuda concedere non poſſe. Si enim dicta limitatio non habet locum, et adſunt quae per hypotheſin praeſupponuntur, nullum adeſt fundamentum ex quo feudi conceſſionem illicitam eſſe probari poteſt.

§. 644.

Vt quis in genere habilis ſit ad feudum accipiendum nihil aliud requiritur, quam quod 1) *in genere ſit dominii capax et* 2) *eam fidelitatem, quoad ſpecialia officia quae continet, praeſtare poſſit, ad quam vaſallus intuitu feudi accipiendi aſtrictus ſit.* Vaſallus enim fit dominus feudi vtilis et ab eo praeſtanda eſt fidelitas feudalis (§. 618.).

§. 645.

Feuda itaque *concedere et acquirere poſſunt tam*

per-

perſonae ſingulares quam morales; ſuperior feuda concedere poteſt ſibi ſubiecto et is ſuperiori ſuo; immo, qui conceſſit alicui hoc feudum, is ab eo accipere poteſt aliud feudum, vt ſic dominus feudi poſſit eſſe vaſalli ſui vaſallus.

SECTIO III.
DE FEVDO CONSTITVTO.

§. 646.

Sequitur tertium thema in iurisprudentia feudali enucleandum (§. 610), de feudo conſtituto. Quae huc pertinent doctrinae commode reduci poſſunt ad theoriam de 1) *perſonis feudalibus;* 2) *iuribus et obligationibus feudalibus.*

CAPVT I.
DE PERSONIS FEVDALIBVS.

§. 647.

Sub *perſonarum feudalium* nomine mihi veniunt eae perſonae, quae feudi dominium directum, vel vtile, aut habent, aut exſpectant. Hincque ad eas referri poſſunt 1) *dominus feudi;* 2) *vaſallus poſſeſſor;* 3) *ſucceſſor feudalis vi inueſtiturae primi acquirentis;* 4) *ſimultanee inueſtitus;* 5) *exſpectatiuarius feudalis;* 6) *ſucceſſor feudalis vi diſpoſitionis a vaſallo factae.* De quibus ſingulis nunc agendum.

TIT.

TIT. I.
DE DOMINO FEVDI DIRECTO.

§. 648.

Dominus feudi directus §. 618. iam defi-
itus vel eſt perſona ſingularis, vel perſona
ıoralis, et, ſi in priori caſu plures eiusdem
eudi domini ſunt, dicuntur *condomini feudi
irecti.*

§. 649.

Si condomini directi, vel perſona moralis
uae dominus feudi eſt, conſtituunt vnum qui
epraeſentat dominum feudi, is dicitur *Prodo-
ıinus feudi.*

§. 650.

Datur etiam haec inter dominos feudi di-
ectos differentia, quod dominus feudi vel ſit
lominus feudi ſimpliciter ſic dictus, vel *ſubdominus
eudi*, prout feudum vel primum, vel ſubfeudum
ſt (§. 632.).

§. 651.

Dominus feudi talis fit vel *originarie*, dum
n infeudatione retinet dominium directum,
vel *deriuatiue*, dum dominium directum, quod
rat alterius, acquirit. *Quae acquiſitio tam per
ucceſſionem, quam alio modo fieri poteſt, et cum do-
ninium directum ſit allodium* (§. 620.), *ſecundum
egem naturae hic locum habent, quae de ſucceſſione
§. 139. ſeqq. dicta ſunt.*

TIT

TIT. II.
DE VASALLO POSSESSORE.

§. 652.

Vaſallus ſupra §. 618. definitus tum dicitur *vaſallus poſſeſſor*, ſi dominium eius vtile cum exercitio coniunctum, ſicque ius completum (§. 129. *Introd.*) eſt, et *quae de domino feudi* §. 648. 649. 650. *dicta ſunt, valent etiam mutatis mutandis de vaſallo poſſeſſore.*

§. 653.

Vaſallus poſſeſſor talis fit vel *originarie*, dum in infeudatione dominium vtile accipit, vel *deriuatiue*, dum loco vaſalli poſſeſſoris fit vaſallus poſſeſſor. Poſterius vel fit poſt mortem vaſalli poſſeſſoris per *ſucceſſionem*, vel *alio modo praeter ſucceſſionem.*

§. 654.

Succeſſio per quam quis loco vaſalli poſſeſſoris fit vaſallus poſſeſſor, dicitur *ſucceſſio feudalis*, ſeu *ſucceſſio in feudo*, de qua notandum *eam locum non habere, ſed potius dominium vtile mortuo vaſallo redire ad dominum feudi directum, niſi conſtet de eius huic vel illi ſucceſſionem in feudo tribuentis voluntate* (§. 613.) *vt ſic omnis ſucceſſio feudalis, vel* 1) *vi inueſtiturae primi acquirentis, vel* 2) *vi ſimultaneae inueſtiturae, vel* 3) *vi exſpectatiuae feudalis, vel* 4) *vi diſpoſitionis vaſalli a domino feudi confirmatae fiat.* De quibus ſucceſſionis feudalis ſpeciebus in ſequentibus titulis agendum.

§. 655.

§. 655.

Praeter ſucceſſionem vaſallus poſſeſſor talis ſit per *cquiſitionem dominii vtilis cum eius exercitio viuente* *, qui hactenus vaſallus poſſeſſor fuit, factam*, veluti *er praeſcriptionem feudalem translatiuam* (§. 627.) *t translationem dominii vtilis a vaſallo alienante in* *lium factum.*

TIT. III.

DE SVCCESSORIBVS FEVDALIBVS VI INVESTITVRAE PRIMI ACQVIRENTIS.

§. 656.

Succeſſores feudales vi inueſtiturae primi acquiren-*is*, vulgo agnati, dicuntur, qui ſub primi acqui-entis inueſtitura ſunt comprehenſi (§. 624.).

§. 657.

Cum itaque vi definitionis inueſtiturae (§. 522.) ſucceſſoribus feudalibus vi inueſtiturae alibus iam ſit collatum dominium vtile, *ii* 1) *am ſunt vaſalli* (§. 618.); *aſt tamen* 2) *a vaſallis oſſeſſoribus differunt in eo, quod nondum habeant domi-ii vtilis exercitium et* 3) *non niſi mediate, per primum cilicet acquirentem, cum feudo ſint inueſtiti* (§ 624.).

§. 658.

Licet certum ſit ad comprehenſos ſub inueſtitura primi acquirentis referri non poſſe eos qui in genere feuda accipere nequeunt, ex feudorum natura tamen nequit determinari qui ex illis, qui feudorum capaces ſunt,

ſunt, ad illos referri poſſint, ſed potius hoc ex inue- ſtiturae tenore definiendum. Vnde, *quoad eos qui ad ſucceſſionem feudalem, quatenus vi inueſtiturae primi acquirentis fit* (§. 654.), *admittendi, in iure feudali naturali non niſi hoc definiri poteſt, quod ii, qui feudorum capaces ſunt, ſecundum tenorem inueſtiturae ſuccedere debeant.*

§. 659.

Ius haereditarium ſucceſſoribus feudalibus vi in- ueſtiturae competens eſt ius haereditarium ex pacto et prouidentia maiorum (§. 376. *Introd. et* §. 656.) Vnde *quae de hoc iure haereditario* §. 154. 166 *vt et de haeredibus ex pacto et prouidentia* §. 449 *et* 470. *dicta ſunt hic locum habent.*

TIT. IV.
DE SIMVLTANEE INVESTITIS.

§. 660.

Licet ſimultanee inueſtiti omnes ii appel- lari poſſint, qui cum alio de feudo eodem ſi- mul ſunt inueſtiti, et in hoc ſenſu variae eo- rum ſpecies concipi poſſint: hic tamen de iis, qui *ſecundum excellentiam tales* dicendi, agendum, qui ſunt tales, qui cum vaſallo poſſeſſore de eodem feudo ita immediate a domino ſunt in- ueſtiti, vt exercitium dominii vtilis penes ſo- lum vaſallum poſſeſſorem maneat.

§. 661.

§. 661.

Simultanee inueſtiti itaque 1) *iam ſunt vaſalli* §. 657.); *aſt tamen* 2) *a vaſallis poſſeſſoribus in differunt, quod illi ſoli exercitium dominii vtilis habeant, a quo ſimultanee inueſtiti ſunt excluſi, et* 3) *ſucceſſoribus feudalibus in eo, quod hi non niſi mediate, ſimultanee inueſtiti vero immediate, de feudo ſint inueſtiti* §. 656. 660.

§. 662.

Ex ſimultanea inueſtitura oritur ſucceſſio feudalis §. 665.), *quae demum locum habere poteſt primo acquirente et ſub eius inueſtitura comprehenſis, ſeu ſucceſſoribus feudalibus vi inueſtiturae primi acquirentis, deficientibus.* Vi ſimultaneae inueſtiturae ſucceſſi inde eſt, quoniam ſine ſucceſſionis ſpe nullam haberet vtilitatem, aſt tamen caſum, quo deſunt primus acquirens et ſub eius inueſtitura comprehenſi, eſſe exſpectandum, fluit inde, quoniam ſimultanee inueſtiti tantum adiunguntur iis.

§. 663.

Si vi ſimultaneae inueſtiturae ſuccedunt ſimultanee inueſtiti in feudum, ii ad ſucceſſionem ſunt admittendi qui ſimultaneam inueſtituram impetrarunt et eo tempore adſunt, ita, vt tot perſonae ſuccedant, quot adſint ſimultanea inueſtitura gaudentes. Per hypotheſin.

§. 664.

Ipſa ſimultanea inueſtitura aliter acquiri nequit,

 ſic-

ſicque ſimultanee inueſtitus aliter talis fieri nequit, quam per inueſtituram a domino feudi directo factam. Aſt ius petendi, vt ad ſimultaneam inueſtituram quis admittatur, acquiri poteſt per ſucceſſionem, vnde oritur ſucceſſio in ſimultaneam inueſtituram, a ſucceſſione ſimultanee inueſtitorum in feudum omnino diuerſa, et alio modo praeter ſucceſſionem. Prius patet ex inueſtiturae feudalis notione (§. 622.). Quoad poſterius vero, ius vi cuius quis ad ſimultaneam inueſtituram admittendus, prout alia iura, per ſucceſſionem et alio modo acquiri poſſe, dubio caret.

TIT. V.

DE EXSPECTATIVARIIS FEVDALIBVS.

§. 665.

Exſpectatiua feudalis eſt ius a ſolo domino feudi acquiſitum, vi cuius is, ſi dominium vtile feudi ad eum redit, nobis illud concedere debet. Is vero cui competit exſpectatiua feudalis, dicitur *exſpectatiuarius feudalis.*

§. 666.

Exſpectatiuarius feudalis vel in eum euentum, quo dominium vtile feudi redit ad dominum feudi directum iam eſt inueſtitus, vel non. In priori caſu *exſpectatiuarius inueſtitus*, in poſteriori *nudus* ſeu *ſimplex* appellari poteſt.

§. 667.

§. 667.

Nullus exſpectatiuarius ſiue ſit inueſtitus exſpe-ctatiuarius, ſiue nudus, eſt vaſallus, hincque *exſpe-ctatiuarii in eo differunt a ſimultanee inueſtitis et ſuc-ceſſoribus feudalibus vi inueſtiturae primi acquirentis.* Licet enim exſpectatiuarius ſit inueſtitus, penes eum tamen actu non eſt dominium vtile feudi, cum talis inueſtitura ſit euentualis (§. 622.). Ergo vaſallus non eſt (§. 618.).

§. 668.

Ex exſpectatiua feudali oritur ſucceſſio feudalis (§. 665.) *quae demum locum habet, ſi ratione feudi intuitu cuius exſpectatiua conceſſa exiſtit caſus quo dominium vtile redit ad dominum feudi directum. In vero perinde ſit ſiue huius, ſiue illius feudi, cuius dominus directus eſt qui exſpectatiuam conceſſit, dominium vtile redeat ad dominum feudi directum: vt et, in hoc modo, an alio modo redeat, inde dependet quomodo exſpectatiua conceſſa, an nimirum indetermi-nate ratione feudi et caſus reditus dominii vtilis, an determinate vel quoad vtrumque, vel quoad feudum tantum, vel quoad caſum reditus tantum.* Ex ex-ſpectatiua feudali oriri ſucceſſionem feudalem dicto modo ex ipſa definitione eius (§. 665.), immediate fluit.

§. 669.

Ipſa exſpectatiua feudalis acquiritur, ſicque exſpectatiuarius talis fit, vel *originarie,* ſi, dum eius conceſſio a domino fit, acquiritur, vel

deriuatiue, ſi iam conceſſa exſpectatiua acquiritur ab exſpectatiuario, id quod fit vel per *ſucceſſionem*, ſi ad perſonam primi acquirentis non reſtricta, indeque oritur *ſucceſſio in exſpectatiuam*, a ſucceſſione exſpectatiuarii in feudum omnino diuerſa, vel *alio modo praeter ſucceſſionem.*

TIT. VI.

DE SVCCESSORIBVS FEVDALIBVS VI DISPOSITIONIS VASALLI TALIBVS.

§. 670.

Succeſſores feudales vi diſpoſitionis vaſalli tales appello, qui ius ſuccedendi in feudi vtile dominium, vi diſpoſitionis mortis cauſa a vaſallo poſſeſſore factae, habent, ſicque *vi pacti ſucceſſorii cum vaſallo poſſeſſore initi, vltimae voluntatis eius, aut mortis cauſa donationis ab eo factae, ad ſucceſſionem feudalem admittendi ſunt.*

§. 671.

Succeſſores feudales vi diſpoſitionis vaſalli tales ſunt, prout exſpectatiuarii, vel *inueſtiti ſucceſſores vi diſpoſitionis vaſalli tales*, vel *nudi* ſeu *ſimplices*, prout a domino feudi directo in euentum ſucceſſionis iam ſunt inueſtiti, vel non.

§. 672.

Succeſſores feudales vi diſpoſitionis vaſalli tales ſiue ſint inueſtiti, ſiue nudi, nondum ſunt vaſalli (§ 618.)*: et in eo differunt a ſucceſſoribus feudalibus vi inueſtiturae primi acquirentis talibus qui vaſalli iam ſunt*

ſunt (§. 657.). *Ab exſpectatiuariis vero non niſi in eo differunt, quod exſpectatiuarii ius ſuum habeant a domino feudi directo* (§. 665.), *illi vero a vaſallo poſſeſſore* (§. 670.).

§. 673.

Si adſunt ſucceſſores feudales vi diſpoſitionis vaſalli tales, inde oritur ſucceſſio feudalis vi diſpoſitionis vaſalli §. 654.), *quae ex diſpoſitionis, ſicque pacti ſucceſſorii, vltimae voluntatis, donationis mortis cauſa tenore, vt et iis quae de his diſpoſitionibus dicta ſunt* §. 232. *ſeqq. diiudicanda.*

CAPVT II.

DE IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS FEVDALIBVS.

§. 674.

Abſoluta doctrina de perſonis feudalibus, ſequitur doctrina de iuribus et obligationibus feudalibus (§. 646.), nimirum iis iuribus et obligationibus quae feudo conſtituto oriuntur, de quibus 1) *ipſis;* 2) *acquiſitione, amiſſione, conſeruatione et perſecutione iurium et obligationum huius generis* agendum.

(I)

DE IVRIBVS ET OBLIGATIONIBVS FEVDALIBVS IPSIS.

§. 675.

Quoad iura et obligationes feudales ipſas magna obtinet differentia inter feuda 1) *pro-*

pria; 2) *impropria*, hic a ſe inuicem diſtinguenda.

(1)

DE IVR. ET OBL. FEVDALIBVS IPSIS QVOAD FEVDA PROPRIA.

§. 676.

Iura et obligationes feudales quoad feuda propria vel 1) circa *perſonam domini feudi directi*, et *vaſalli*, vel 2) circa *dominium feudi* ſiue *directum*, ſiue *vtile*, vel 3) circa *feudum ipſum* ſeu *rem feudalem* verſantur.

TIT. I.
DE IVR. ET OBLIG. FEVD. QVAE CIRCA PERSONAM DOMINI ET VASALLI VERSANTVR.

§. 677.

Iura et obligationes feudales quae circa perſonam domini et vaſalli verſantur, concernunt I) *renouationem inueſtiturae*, quae eſt actus per quem fit inueſtitura repetita (§. 623.).

§. 678.

Si itaque *ſucceſſor feudalis vi inueſtiturae primi acquirentis, dum fit vaſallus poſſeſſor, immediate inueſtitur, ſi ſimultanee inueſtitus iterum inueſtitur, ſi vaſallus poſſeſſor mutato domino feudi directo iterum inueſtitur, fit inueſtiturae renouatio.*

§. 679

§. 679.

Renouatio inueſtiturae non eſt iuris naturalis. ſemel enim per primam inueſtituram acquiſi-um eſſe dominium vtile ſufficit.

§. 680.

Huc pertinent II) *officia humanitatis ad quae raeſtanda ex nexu feudali oritur perfecta obligatio* §. 612.) Quum vero ipſa officia humanitatis ſeu nperfecta hic ſigillatim recenſere nimis pro-xum foret, ſufficere poſſunt ſupra §. 171. *ntr.* de officiis humanitatis in genere dicta.

§. 681.

Porro et huc referri debent III) *ſpecialia ficia quae circa perſonam verſantur vel a domino aſallo, vel a vaſallo domino praeſtanda*, veluti pro-ectio a domino vaſallo praeſtanda, et ſeruitia udalia a vaſallo domino praeſtanda. Quum ero haec, aliaque officia ſpecialia, ex natura eſſentia feudi determinari nequeant, ſed po-us ex pacto feudali et moribus (§. 637.) de-niendum, quid circa haec ſpecialia officia iu-um ſit, quaeque locum habeant, vel non: ea i principii iuris naturae (§. 352. *Introd.*), hic eterminari nequeunt, licet, ſi per hypotheſin ſumatur, hoc vel illud officium ſuſceptum eſſe, x eius natura et indole quid iuſtum ſit in iure udali naturali definiri poſſit.

TIT. II.

DE IVR. ET OBL. FEVDALIBVS CIRCA FEVDI DOMINIVM DIRECTVM ET VTILE.

§. 682.

Feudi dominium directum ita in quaſi dominio dominii feudi directi eſt, vt nec vaſallus poſſeſſor, nec alia perſona feudalis de eo participet, ſed potius dominus feudi directus de eo ita diſponere poſſit, prout de quolibet alia re ſua diſponere poteſt, et quod in genere iuſtum eſt circa alias res et circa hanc iuſtum eſt. Eſt enim dominium feudi directum allodium (§. 620.), nec ab alio domino feudi directo conceſſum (§. 613.).

§. 683.

Quicquid itaque *in genere valet de alienatione et ſucceſſione quoad alias res, etiam valet de alienatione et ſucceſſione quoad dominium directum.*

§. 684.

Appropriatio feudi eſt in genere actus per quem dominium feudi directum a domino feudi adiicitur dominio vtili, ita vt vaſallus nunc plenum rei, quae feudum erat, dominium accipiat.

§. 685.

Ad appropriationem feudi requiritur conſenſus domini directi ab vna, et vaſalli poſſeſſoris, nec non ſimultanee inueſtitorum ab altera parte, ita vt, ſi vaſallus

ſallus non eſt primus acquirens, etiam ſucceſſorum feudalium vi inueſtiturae primi acquirentis conſenſus accedere debeat. Id quod, quoad dominum feudi directum, quum per appropriationem dominium feudum directum amittat, per ſe patet; quoad reliquos vero inde deducendum, quod, licet ab vna parte acquirant, ab altera parte tamen amittant iura in perſonam domini (§. 681.). Quoad caſum quo vaſallus poſſeſſor eſt primus acquirens vid. §. 695.

§. 686.

Ratione dominii vtilis feudi dantur iura domini feudi directi, vaſalli poſſeſſoris et reliquarum perſonalium feudalium. Quod itaque iura *domini feudi directi* circa dominium feudi vtile attinet, *ipſum hoc dominium quidem non habet, aſt tamen ius futurum radicatum ad conſolidationem eius cum directo duplici caſu:* 1) *ſi nemo eorum ſupereſt quibus conceſſum, ſicque feudum ſit* domino apertum; 2) *ſi talis quidem adeſt, aſt is violauit fidelitatem feudalem, ita vt in primo caſu conſolidatio ſit perpetua, in poſteriori caſu vero temporaria, ſi praeter eum, qui violauit fidelitatem feudalem, ſuperſunt alii, quibus feudum a domino itidem conceſſum iisque violatio fidelitatis feudalis imputari nequit.* Vi definitionis feudi (§. 613.), et conditionis reſolutiuae exiſtentis effectus (§. 432. *Introd.*).

§. 687.

Hinc fluit *dominum feudi directum poſſe exſpe-*

ſtatiuam feudalem valide concedere ſine aliarum perſonarum feudalium conſenſu, aſt ſimultanee inueſtire eum non poſſe ſine conſenſu vaſalli poſſeſſoris et ſucceſſorum feudalium vi inueſtiturae primi acquirentis talium §. 657. n. 1. 661. n. 1. 667.

§. 688.

Porro ad iura domini directi circa dominium feudi vtile pertinet, illud ſine eius conſenſu ad alium quam eum, cui illud vel de praeſenti, vel in certum euentum a domino feudi directo conceſſum, transferri non poſſe, ſeu, quod idem eſt, ei inuito vaſallum obtrudi non poſſe. Eſt enim dominium feudi vtile pars dominii quod ante infeudationem plenum erat penes dominum. Ergo.

§. 689.

Vaſallus poſſeſſor ipſum dominium vtile cum eius exercitio habet, et quidem ſolus, ſi nec ſucceſſores feudales vi inueſtiturae primi acquirentis, nec ſimultanee inueſtiti adſunt. Si vero tales adſunt, quando eſt primus acquirens, ſicque feudum eſt nouum *feudum, ipſum dominium vtile, non vero eius exercitium, eſt in condominio eius et ſimultanee inueſtitorum: quando autem primus acquirens non eſt, ſicque feudum eſt feudum* antiquum, *etiam ſucceſſores feudales, praeter ſimultanee inueſtitos, quoad ipſum dominium vtile cum poſſeſſore vaſallo in condominio ſunt.* Vi §§. 657. n. 1. et 661. n. 1.

§. 690.

Alienatio feudi eſt actus inter viuos, quo vaſallus poſſeſſor dominium vtile feudi plene in ali-

lium, quam dominum feudi directum, transfert, eaque diuiditur in *impropriam* et *propriam*, prout is in quem transfertur vel eſt perſona feudalis, vel non. *Refutatio feudi* eſt actus inter viuos per quem a vaſallo poſſeſſore dominio directo adiicitur vtile, ita, vt dominus feudi directus nunc dominium plenum rei quae feudum erat accipiat, licet in hoc ſenſu praeciſe refutatio *domino facta* appellari ſoleat, eique refutatio ſucceſſoribus et extraneis facta opponi, quae refutationes tamen magis alienationes feudi ſunt. Vnde patet *a feudi alienatione et refutatione differre ſubinfeudationem et diſpoſitionem de dominio feudi vtili mortis cauſa factam* (§. 631.).

§. 691.

Vaſallus poſſeſſor feudum nec proprie alienare, nec refutare, nec de eo mortis cauſa diſponere poteſt, ſine conſenſu domini feudi directi. Aſt improprie alienare et ſubinfeudare illud poteſt ſine eius conſenſu. Prius patet per §. 688. et 680. 681. Quoad poſterius deficiens domini feudi directi intereſſe efficit conſenſum eius non eſſe neceſſarium.

§. 692.

Si adſunt ſimultanee inueſtiti et ſucceſſores feudales vi inueſtiturae primi acquirentis tales, ad validitatem alienationis propriae, refutationis et mortis cauſa de feudo diſpoſitionis non ſufficit domini feudi directi conſenſus: ſed potius ad eum effectum, vt hae diſpoſitiones irrouocabiliter ſubſiſtant, requiritur, ſi vaſal-

vaſallus poſſeſſor eſt primus acquirens, ſimultanee inueſtitorum, et, ſi non eſt primus acquirens, etiam ſucceſſorum feudalium, vi inueſtiturae primi acquirentis talium, conſenſus. Per §. 689.

§. 693.

Quod attinet reliquarum perſonarum feudalium, praeter dominum feudi et vaſallum poſſeſſorem, iura et obligationes ratione dominii vtilis feudi, ex dictis (§. 689 691.) iam patet, quae ſint *ſimultanee inueſtitorum* et *ſucceſſorum feudalium vi inueſtiturae primi acquirentis talium*, iura: vnde tantum quoad *exſpectatiuarios* et *ſucceſſores feudales vi diſpoſitionis vaſalli* notandum, *iis nullum aliud circa illud ius competere, quam quod exiſtente ſucceſſionis caſu ad eam ſint admittendi*, prout ex dictis §. 665. *ſeq.* et §. 670. *ſeq.* per ſe patet.

TIT. III.

DE IVR. ET OBLIG. FEVD. IPSIS CIRCA IPSAM REM FEVDALEM.

§. 694.

Ad huius generis iura et obligationes referri poſſunt quae verſantur I) *circa onera feudo imponenda*, veluti ſeruitutes feudo imponendae, oppignarationes eius etc.

§. 695.

Si ſeruitutes feudo imponendae, pignus in feudo conſtituendum, et in genere iura in feudo conſtituenda,

ſeu

ſeu onera feudo imponenda, hoc ita, vt ius adſit perpetuum, et quemlibet, ad quem feudum venit, teneat obligatio ei reſpondens, fieri non poteſt a ſolo vaſallo poſſeſſore, ſed accedere debet domini feudi directi, et ſimultanee inueſtitorum conſenſus ſemper, vt et ſucceſſorum feudalium vi inueſtiturae primi acquirentis ſeu agnatorum, in caſu quo conſtituens non eſt primus acquirens. Exſpectatiuariorum et ſucceſſorum vi diſpoſitionis vaſalli conſenſus vero nunquam neceſſarius eſt. Domini conſenſum adeſſe debere inde eſt, quoniam vaſallus rem accepit a domino ſine his oneribus, ſicque tale onus in eius praeiudicium tendit. Simultanee inueſtitorum et agnatorum conſenſus ideo requiritur, quoniam ſunt condomini (§. 689.), quae ratio quoad exſpectatiuarios et ſucceſſores vi diſpoſitionis vaſalli ceſſat (§. 667. 672.). Cur vero agnatorum conſenſus ad dictum caſum reſtringendus ſit patet per §. 689.

§. 696.

Ad iura et obligationes feudales quae feudum concernunt pertinent II) quae verſantur circa *debita feudalia*, quo nomine veniunt debita a vaſallo poſſeſſore ita contracta, vt ex feudo ſolui debeant, iisque opponuntur *debita allodialia*, quae talia non ſunt.

§. 697.

Debitorum feudalium ſecundum ius naturae triplex datur fundamentum, nimirum 1) *debitum ex feu-*

di acquiſitione eſſe ortum, *veluti* a) *aes alienum comparando feudo impenſum;* b) *reſiduum pretii quo feudum fuit emtum;* 2) *debitum in feudum eſſe verſum;* 3) *feudum pro tali debito dicto* §. 695. *modo eſſe oppignoratum*, *ita*, *vt*, *ad debita ſecundi et tertii generis ex feudo ſoluenda, quilibet feudi poſſeſſor obligatus ſit, aſt ad primi generis debiti ſolutionem non niſi vaſallus poſſeſſor, qui tanquam ſucceſſor vi inueſtiturae primi acquirentis illud acquiſiuit.* Ad 1) vid. §. 659. et 449.). Ad 2) §. 176. Ad 3) §. 102.

§. 698.

Feudum ipſum etiam concernunt III) *iura et obligationes feudales ratione ſeparationis feudi ab allodio. Separatio feudi ab allodio* vero fieri dicitur, ſi tollitur allodiorum et feudorum, ex poſſeſſione ſimultanea vaſalli, orta confuſio.

§. 699.

Separatio feudi ab allodio itaque *toties locum habet*, *quoties vaſalli bona allodialia et feudalia ad diuerſas perſonas venire debent*, *et tum is*, *cuius ſunt feuda*, *omnia quae qualitatem feudalem non habent* (§. 620.), *ei cuius ſunt allodia: vice verſa vero is, cuius ſunt allodia*, *ea*, *quae qualitatem feudalem habent*, *ei cuius ſunt feuda*, *relinquere debet.*

§. 700.

Tandem IV) huc pertinent iura et obligationes quoad ea quae, prout circa quamlibet rem (§. 102. *Intr.*), ita et circa feudum a ſe

inui-

inuicem diſtingui poſſunt, nimirum iura et obligationes circa feudi *ſubſtantiam*, *vſum* et *poſſeſſionem*. Aſt, cum ex iis quae de iuribus et obligationibus feudalibus ratione dominii directi et vtilis (§. 682. *ſeqq.*), vt et de dominii directi et vtilis natura et indole in genere (§. 213. *ſeqq. Intr.*), dicta ſunt, omnia hic dicenda ſponte fluant, operae pretium non erit, concluſiones elicere, quae ſe ſponte produnt. Modo ratione poſſeſſionis notetur, aliam eſſe poſſeſſionem rei feudalis, aliam quaſi poſſeſſionem dominii feudi vel vtilis vel directi.

(2)

DE IVR. ET OBLIG. FEVD. IPSIS QVOAD FEVDA IMPROPRIA.

§. 701.

Hactenus de feudis propriis, ſequuntur feuda impropria (§ 675.). Quum vero innumerae feudorum improperiorum dentur ſpecies, ad ſingulas has ſpecies deſcendere non licet. Vnde non niſi hoc in genere hic annotandum, *quoad feuda impropria ante omnia indagandum eſſe in quo ipſa improprietas conſiſtat, quo facto facile diiudicari poteſt; an et qualem ea ſecundum ſuam naturam producat differentiam a propriis feudis in iis quae e. g. de alienatione feudi, debitis feudalibus etc. dicta ſunt.*

II.

(II)

DE ACQVISITIONE, AMISSIONE, CONSERVATIONE ET PERSECVTIONE IVRIVM ET OBLIGATIONVM FEVDALIVM.

§. 702.

Ordo tangit, abſolutis iuribus et obligationibus feudalibus ipſis, doctrinas *de acquiſitione* etc. *iurium et obligationum feudalium* (§. 674.), nunc ſigillatim euoluendas.

TIT. I.

DE ACQVISITIONE IVRIVM ET OBLIGATIONVM FEVDALIVM.

§. 703.

Quum iura et obligationes feudales ſint vel iura et obligationes *perſonarum feudalium*, vel *aliarum perſonarum*, veluti creditorum feudalium, ſucceſſorum in allodio, ſigillatim de iis pro hac diuerſitate agendum.

§. 704.

Iura et obligationes feudales quoad perſonas feudales acquiruntur dum tales fiunt. Quomodo vero tales fiant dominus feudi directus, vaſallus poſſeſſor etc. ex theoria de perſonis feudalibus §. 647. *ſeqq. patet.*

§. 705.

Reliquarum perſonarum, praeter perſonas feudales, iura et obligationes feudales quod attinet, ex iis, quae de debitis feudalibus (§. 696.) *et ſeparatione*

tione feudi ab allodio (§. 698) *dicta ſunt, itidem per ſe patet, quomodo earum acquiſitio fiat.*

TIT. II.

DE AMISSIONE IVRIVM ET OBLIGATIONVM FEVDALIVM.

§. 706.

Amiſſio iurium et obligationum feudalium fit vel *feudo finito*, vel *feudo ſubſiſtente.*

§. 707.

Feudum finitur 1) *ſi res feudalis vi hoſtili occupatur*; 2) *per eius interitum*; 3) *ſi re adhuc exiſtente diuiſio dominii eius in directum et vtile ita ceſſat vt conſolidatio* (§. 384. *Intr.*) *fiat*; 4) *ſi conditio fidelitatis feudalis tollitur ſubſiſtente re et dicta diuiſione dominii.* Per §. 614.

§. 708.

Feudi conſolidationem fieri, ſicque tertio modo feudum finiri, quintuplici modo contingere poteſt, nimirum per 1) *appropriationem* (§. 684.); 2) *refutationem* 690.; 3) *mortem vltimi vaſalli;* 4) *praeſcriptionem feudalem exſtinctiuam* (§. 627.); 5) *feloniam.* De quibus duobus poſterioribus modis ſpecialia quaedam addenda.

§. 709.

Praeſcriptio feudalis exſtinctiua ita, vt per eam feudum finiatur, fit triplici modo ſi 1) *dominus feudi dominium vtile vaſalli poſſeſſoris*; 2) *vaſallus poſſeſſor dominium feudi directum*; 3) *tertius*

plenum rei dominium, mediante praeſcriptione, acquirit. Non vero ſi per praeſcriptionem ſucceſſoris feudalis vi inueſtiturae primi acquirentis, aut coinueſtiti ius exſtinguitur. In tribus his caſibus enim conſolidationem fieri, in reliquis vero non, ex conſolidationis notione (§. 384. *Introd.*) patet.

§. 710.

Felonia eſt violatio fidelitatis feudalis, diciturque *felonia domini*, ſi dominus feudi, *felonia vaſalli*, ſi vaſallus, violat fidelitatem feudalem.

§. 711.

Felonia vaſalli committi poteſt a vaſallo poſſeſſore, ſucceſſore feudali vi inueſtiturae primi acquirentis, et ſimultanee inueſtito: non vero ab exſpectatiuario, et ſucceſſore feudali vi diſpoſitionis defuncti. Priores enim ſunt vaſalli, poſteriores non.

§. 712.

Felonia committitur toties a vaſallo, quoties fideliter non explet obligationes feudales erga dominum feudi directum. Erga alium quam eum vero committi nequit felonia a vaſallo. Fidelitas feudalis enim omnia vaſallorum erga dominum officia complectitur (§. 612.) aſt non alia officia vaſallorum. Ergo §. 710.

§. 713.

Vaſallus per feloniam amittit dominium vtile feudi, quod, ſi feloniae reus eſt vaſallus poſſeſſor, redit ad dominum feudi directum; ſi vero eſt ſucceſſor feudalis vi inueſtiturae primi acquirentis, vel ſimultanee inueſtitus,

ius

ius eorum exſtinguitur, indeque non omnis felonia vaſalli operatur conſolidationem. Vaſallum omnem qui feloniam committit amittere dominium vtile, ex notione feloniae et §. 613. patet. Conſolidationem vero non niſi in dicto caſu fieri, inde eſt, quoniam propter feloniam alius vaſalli, innocens vaſallus poſſeſſor feudo priuari nequit.

§. 714.

Felonia domini itidem toties committitur, quoties dominus ſua officia erga vaſallum non fideliter explet, et ſemper operatur amiſſionem talem per quam fit conſolidatio cum dominio vtili vaſalli. Prius ideo, quoniam et penes dominum feudi dominium feudi directum ſub conditione fidelitatis eſt (§. 613.). Poſterius ideo, quoniam dominus ſemper ipſum dominium feudi directum cum exercitio habet, nec datur differentia inter dominum poſſeſſorem et non poſſeſſorem.

§. 715.

Feudo per occupationem vi hoſtili factam aut rei interitum finito, omnia iura omnesque obligationes feudales exſtinguuntur. Deficiente enim re feudali, iura et obligationes quae eam concernunt ſupereſſe, impoſſibile eſt.

§. 716.

Feudo per conſolidationem mediante appropriatione finito, non niſi iura et obligationes feudales domini

mini feudi directi, vaſalli poſſeſſoris, ſucceſſorum vi inueſtiturae primi acquirentis, ſimultanee inueſtitorum, et exſpectatiuariorum exſtinguuntur. Si enim dominus directus dominium directum in vaſallum poſſeſſorem transfert per appropriationem (§. 684.) inter eos, vt et quoad eos, qui ius ſuum a domino directo habent, exſtingui iura et obligationes neceſſe eſt: aſt quoad reliqua iura et reliquas obligationes haec mutatio nullum habere poteſt effectum. Atqui. Ergo.

§. 717.

Feudi conſolidatione per refutationem facta non niſi iura et obligationes feudales quoad dominum feudi directum, vaſallum poſſeſſorem, ſucceſſores feudales vi inueſtiturae primi acquirentis, ſimultanee inueſtitos, vt et exſpectatiuarios, ſi exſpectatiua expreſſe ad alium caſum reditus dominii vtilis ad dominum feudi directum reſtricta, exſtinguuntur. Si enim vaſallus poſſeſſor dominium vtile in dominum feudi directum per refutationem transfert (§. 690.), iura et obligationes tam inter eos, quam quoad eos, qui cum vaſallo poſſeſſore dominium vtile habent, quod vnicum iurium et obligationum feudalium quoad eos fundamentum eſt, ceſſare neceſſe eſt. Atqui. Ergo. Quae de exſpectatiuario dicta ſunt ex hypotheſi per ſe patent.

§. 718.

Feudi conſolidatione per mortem vltimi vaſalli facta, non niſi iura et obligationes feudales quoad dominum directum feudi et vaſallum poſſeſſorem exſtinguuntur. In hoc caſu enim deſunt ſucceſſores feudales vi inueſtiturae primi acquirentis et ſimultanee inueſtiti, ſicque quod eos iura et obligationes feudales exſtingui nequeunt. Reliqua iura et reliquas obligationes vero extingui tantum abeſt, vt potius nunc exiſtat caſus quo in actum deduci poſſunt.

§. 719.

Feudi conſolidatione per praeſcriptionem exſtinctiuam facta, non niſi iura et obligationes feudales quae ſunt inter dominum feudi directum et vaſallum poſſeſſorem exſtinguuntur. Tum vero etiam ius exſpectatiuarii exſtinguitur, ſi exſpectatiua expreſſe ad alium aperturae caſum reſtricta. Praeſcriptio feudalis exſtinctiua per quam feudum finitur enim vnice eos concernit (§. 709.).

§. 720.

Feudo per conſolidationem mediante felonia finito, non niſi iura et obligationes feudales quoad dominum feudi et vaſallum poſſeſſorem exſtinguuntur. Tum vero etiam ius exſpectatiuarii extinguitur, ſi illud expreſſe ad alium caſum aperturae reſtrictum. Et felonia enim per quam feudum finitur vnice ab iis commiſſa felonia eſt (§. 713.).

§. 721.

Si feudum finitur per ſolam fidelitatis feudalis remiſſionem, qui eſt vltimus modus quo feuda finiuntur (§. 707.), *omnia iura omnesque obligationes eo ſenſu exſtinguuntur, quod non amplius iura et obligationes feudales dici poſſint.* Tum enim deficit feudi eſſentiale (§. 614. n. 5). Ergo

§. 722.

Hactenus de amiſſione iurium et obligationum feudalium quae fit feudo finito, nunc de ea, quae fit feudo ſubſiſtente, agendum (§. 706.). Hic vero omnia redeunt ad dominii *directi*, *vtilis*, *iuris ex inueſtitura primi acquirentis*, *ſimultaneae inueſtiturae* et *exſpectatiuae feudalis* amiſſionem quae fit ſubſiſtente feudo. Quoad reliqua iura et reliquas obligationes enim, veluti ſeruitutes in feudo conſtitutas eique reſpondentes obligationes, debita feudalia, etc. perinde eſt ratione amiſſionis ſiue feuda concernant, ſiue non.

§. 723.

Dominium feudi directum feudo ſubſiſtente amittitur praeter *mortem* domini directi, per 1) *alienationem dominii directi a viuente domino factam* (§. 682.) et 2) *praeſcriptionem, ſi nimirum alius, qui non eſt vaſallus, dominium directum feudi per praeſcriptionem acquirit.* Si enim vaſallus praeſcribendo acquirit dominium directum, haec praeſcriptio eſt exſtinctiua per quam feudum finitur (§. 709.). Caeterum *nunquam per mortem*

em domini feudi directi, dominium feudi directum ita amittitur vt finiatur, et feudum vaſallo poſſeſſori fiat apertum, cum illud non ſit a vaſallo domino conceſſum (§. 613.).

§. 724.

Dominium vtile, feudo caeteroquin ſubſiſtente, amittit vaſallus poſſeſſor praeter *mortem*, ſi ſcilicet non eſt vltimus eorum quibus a domino feudi directo dominium vtile conceſſum, itidem per 1) *alienationem dominii vtilis vaſallo viuente ab eo factam* (§. 690); 2) *praeſcriptionem, ſi nimirum alius, qui non eſt dominus feudi directus, dominium feudi vtile vaſalli poſſeſſoris per praeſcriptionem acquiſitiuam acquirit*, quum, ſi dominus feudi directus dominium vtile feudi mediante praeſcriptione ſuum faciat, haec praeſcriptio exſtinctiua ſit et per eam feudum finiatur (§. 709.).

§. 725.

Ius vi inueſtiturae primi acquirentis ſucceſſoribus feudalibus vi huius inueſtiturae competens, amittitur, feudo ſubſiſtente, quoad ius ſuccedendi in feudum ſuo tempore et ordine, praeter *mortem*, per 1) *praeſcriptionem exſtinctiuam;* 2) *renunciationem;* 3) *feloniam* (§. 713.); 4) *conſenſum in alienationem aut diſpoſitionem vaſalli de ſucceſſione in feudo a vaſallo poſſeſſore factam.* Quoad reliqua iura generatim per *conſenſum in actus qui ſine eius conſenſu ſunt inualidi*, veluti conſenſum

in ſeruitutis impoſitionem, oppignorationem feudi etc.

§. 726.

Licet ſimultanea inueſtitura ipſa amitti nequeat, cum factum infectum fieri nequeat, *ius quod vi ſimultaneae inueſtiturae coinueſtito competit amitti poteſt feudo ipſo ſubſiſtente.* Fit vero haec amiſſio, quoad ius ſuccedendi vi ſimultaneae inueſtiturae coinueſtito competens, praeter *mortem* per 1) *praeſcriptionem exſtinctiuam;* 2) *renunciationem;* 3) *conſenſum in alienationem feudi aut diſpoſitionem de ſucceſſione in feudo vaſallo poſſeſſore factam;* 4) *alienationem iuris ex ſimultanea inueſtitura ab ipſo coinueſtito factam;* 5) *feloniam* (§. 713.). Quoad reliqua iura coinueſtitorum fit amiſſio in genere per *conſenſum in actus qui ſine eorum conſenſu ſunt inualidi* (§. 695. 697.).

§. 727.

Quoad exſpectatiuae feudalis amiſſionem, quae fit feudo ſubſiſtente, notandum, eam vel ita fieri vt *transferatur in alium*, veluti ſi exſpectatiuarius ius ſuum alteri cedit, conſentientibus iis quorum intereſt, aut moritur exiſtente ſucceſſore in exſpectatiuam, vel ita vt *extinguatur.* Poſterius fit 1) reſpectu *concedentis,* ſi is moritur antequam apertura feudi fit, et talem habet ſucceſſorem in dominio directo qui ad facta ſua praeſtanda non eſt obligatus. 2) Reſpectu *vaſalli poſſeſſoris*, ſi is alienat feudum,

quo-

quoniam tum non redit dominium vtile ad dominum directum, ſicque conditio ſuſpenſiua quae exſpectatiuae feudali ineſt non exiſtit (§. 297. *Introd.*): et licet fieri poſſit, nouo acquirente eius ſucceſſoribus feudalibus deficientibus, dominium vtile tamen redire, ad hunc caſum conditio non eſt extendenda. 3) Reſpectu ipſius *exſpectatiuarii* per a) *renunciationem eius ita factam vt nemo ſuperſit qui eam reuocare poſſit;* b) *praeſcriptionem exſtinctiuam, quum per acquiſitiuam alter eam acquirat;* c) *mortem eius, nemine ſuperſtite qui in eam ſuccedere poſſit.*

TIT. III.

DE CONSERVATIONE ET PERSECVTIONE IVRIVM ET OBLIGATIONVM FEVDALIVM.

§. 728.

Ratione I) *conſeruationis iurium et obligationum feudalium*, quae per ea media quae tam in ſtatu naturali, quam ciuili iuxta ſuperiora §. 523. *ſeqq. Introd.* in genere locum habent, fit, nihil quoad iura et obligationes huius generis, quod ſingulare eſt, locum habet, niſi quod ratione iuris ex ſimultanea inueſtitura *ſucceſſores in ſimultaneam inueſtituram* (§. 664.) *non niſi per ipſam inueſtituram ſimultaneam a domino feudi impretrandam illud conſeruare poſſint.* Ius ex ſimultanea inueſtitura enim conſeruari nequit niſi adſit

eius fundamentum, ſicque ipſa inueſtitura impetretur a domino.

§. 729.

Quod attinet II) *perſecutionem iurium et obligationum feudalium*, eam aliter quam per bellum in ſtatu naturali fieri non poſſe per ſe patet, et huiusmodi bellum v. g. ſi dominus cogit vaſallum ad ſeruitia praeſtanda, exſpectatiuarius ad feudum apertum concedendum dominum etc. ſingularia admittere dici nequit. Hic itaque omnia redeunt ad ea, quae de perſecutione iurium et obligationum per bellum §. 487. *ſeqq. Introd.* dicta ſunt.

LIBER III.

VRISPRVDENTIA NATVRALIS STRICRE SIC DICTA THEORETICA ECCLESIASTICA.

GEORG. GODOFR. KEVFFEL *Elementa iuriſprudentiae eccleſiaſticae vniuerſalis* Tom. I. Roſt. 1728. Tom. II. ibid. 1729. 8.

§. 730.

Iurisprudentiam naturalem theoreticam ſecularem nunc abſolutam, excipit iurisprudentia eccleſiaſtica (§. 1.) quae pro obiecto habet religionem (§ 13. *Introd.*). Quum vero homines extra rempublicam viuentes vel poſſint etiam extra eccleſiam viuere, vel in eccleſia, tam de hominum extra eccleſiam, quam in eccleſia viuentium iuribus et obligationibus circa religionem hic agendum. Quae vt diſtincte et ſolide tradi poſſint, de religionis natura et indole generalia principia ſunt praemittenda. Ad tres itaque ſectiones haec iurisprudentiae pars reduci poteſt.

SECTIO I.

GENERALIA DE RELIGIONE PRINCIPIA.

§. 731.

Cultus diuinus, qui eſt complexus actionum per iudicium de Dei perfectionibus productarum, vel eſt *internus*, qui actionibus internis, vel *externus*, qui actionibus externis abſoluitur.

§. 732.

§. 732.

Religio eſt determinatus deum colendi modus, et omnia ea quae religionem quocunque modo concernunt *ſacra* dicuntur. Haec ſacra vero ſunt vel ſacra *interna*, vel ſacra *externa*, prout vel mente tantum concipiuntur, vel per corporis motus ſeſe exſerunt.

§ 733.

Quoad religionem a ſe inuicem diſtingui debent 1) ipſae propoſitiones de Deo eiusque voluntate quas ii, qui religionem quandam profitentur, pro veris habent, quae dicuntur *dogmata religionis;* 2) actus ipſi qui cultum diuinum inuoluunt, qui dicuntur *actus religioſi* et vel *interni*, vel *externi* ſunt; 3) aſſenſus quem quis dogmatibus religionis praebet, qui dicitur *fides;* 4) modus in peragendis actibus religioſis externis obſeruandus, qui dicitur *liturgia, quae ſingula ad ſacra pertinent* (§. *praec.*).

§. 734.

Res conſcientiae dicitur quicquid concernit hominis fidem. Independentia hominis vero ab alterius arbitrio in rebus conſcientiae, dicitur *libertas conſcientiae.*

§. 735.

Libertati conſcientiae itaque *repugnat coactio vt quis dogmatibus religionis aſſenſum praebeat, ſiue iis hactenus aſſenſum praebuerit, ſiue non, vt et ſi quis cogi-*

cogitur ad agendum, vel omittendum, quod agi vel omitti dogmatibus religionis ſuae repugnat. Aſt conſcientiae libertati non repugnat ſi quis obligatur ad hoc vel illud dogma religionis publice profitendum, ſi actus religioſos non eſſentiales ſed accidentales concernit coactio, vt et, ſi quoad liturgiam determinatur modus ipſis dogmatibus non contrarius, et quis cogitur ad eum obſeruandum.

§. 736.

Religionem ſeu ſacra coactionis, pactorum et imperii obiectum eſſe non poſſe in genere dici nequit, ſed potius diſtinguendum eſt inter ſacra interna et externa et ea quae res conſcientiae ſunt, vel non. Quoad ſacra interna enim et ea quae res conſcientiae ſunt, nec pacta, nec coactio, nec imperium locum habent, aſt in reliquis omnino. De internis enim homines alii neſciunt quid alter agat vel minus agat, et res conſcientiae pertinent ad actus intellectus, qui ab ipſius hominis cuius ſunt arbitrio non dependent, ſicque ad actiones liberas non pertinent (§. 56. *Intr.*). Ergo

GERH. NOODT Or. *de religione ab imperio iure gentium libera.* Lugd. Bat. 1706. 4. cuius etiam verſiones gallica, anglica et germanica exſtant. Vid. MEISTER *Bibliotheca iuris naturae et gentium* ſub voce: religio p. 163.

§. 737.

Quum ex religionis notione (§. 732.) facile conſtet varias concipi poſſe religiones pro-

vt

vt modus Deum colendi vel hoc, vel alio modo determinatus, inde religio in genere vel *naturalis*, vel *reuelata* eſt, prout modus vel ſecundum ſanae rationis principia, vel ſecundum diuinam reuelationem determinatus. Aſt hic religionis diuerſitas non attendenda, ſed religio in genere ſupponitur, et quae ex huius entis natura et indole iura et obligationes hominum extra rempublicam viuentium concipi poſſunt, euoluendae ſunt (§. 352. *Introd.*).

SECTIO II.

DE IVR. ET OBLIG. HOMINVM EXTRA ECCLESIAM VIVENTIVM QVOAD RELIGIONEM.

§. 738.

Hominum extra eccleſiam viuentium iura et obligationes quoad religionem nunc explicandae §. 730., ſunt duplicis generis, et partim *officiis erga Deum*, partim *officiis erga alios homines* abſoluuntur. De quibus ſigillatim agendum.

TIT I.

DE OFFICIIS ERGA DEVM.

§. 739.

Officia hominum erga Deum ſupra (§. 116. *Intr.*) *definita exigunt vt homines eum colant per cultum tam internum, quam externum.* Per principia theologiae naturalis et §. 162. *Introd.*

§. 740.

§. 740.

Hominum erga Deum officia exigunt ab iis vt, quod attinet cultum diuinum externum, non tantum quilibet homo ſolus externe Deum colat, ſed et vt plures homines coniunctim Deum externe colant. Quoniam hoc facit ad cultus diuini externi maiorem perfectionem. Ergo §. 163. n. 3. *Introd.*

§. 741.

Quum itaque ad cultum Dei internum faciant amor Dei, obedientia erga Deum, timor Dei filialis, et fiducia erga Deum (§. 731.): *officia erga Deum exigunt ab hominibus vt Deum ament, ei obediant, timeant eum et fiduciam ſuam in eo collocent.*

§. 742.

Quumque porro ad cultum Dei externum faciant, reuerentia erga Deum, preces, hymni (§. 731.): *itidem ad reuerentiam Deo praeſtandum, orandum et canendum hymnos, homines ſunt obligati, vi officiorum quae debent Deo.*

§. 743.

Idololatria eſt cultus diuinus exhibitus iis, qui Deus non ſunt, et *ſuperſtitio* ſunt actiones per erroneas de Deo et prouidentia diuina quoad ea quae hominibus bona, vel mala ſunt, opiniones determinatae. *Idololatria et ſuperſtitio itaque officiis hominum erga Deum contrariantur.*

TIT.

TIT. II.
DE OFFICIIS ERGA ALIOS HOMINES QVOAD RELIGIONEM.

BERNH. HENR. ROENNBERG *Comm. philoſophica de officiis diuerſarum religionum erga ſe mutuis et naturalibus.* Wism. 1748.

§. 744.

Quum in genere officia hominum erga alios vel abſoluta, vel hypothetica ſint (§. 125. *Intr.*): et haec officia commode ad has claſſes reduci poſſunt.

§. 745.

Religio natura eſt res merae facultatis de qua alius homo arbitratu ſuo nihil nobis praefinire poteſt. Vi libertatis naturalis quae a natura eſt (§. 188. *Introd.*).

§. 746.

Hinc fluit *ſecundum officia hominum erga alios abſoluta non dari coactionem vt homo qui nullam habet religionem amplectatur religionem, vel vt quis in electa religione maneat, ei per omnia conſentiat et principiis eius conuenienter viuat, ſed potius libertatem conſcientiae obtinere* (§. 734).

§. 747.

Irreligioſus dicitur qui nullam profitetur religionem. Qui vero religionem profitetur dicitur, ſi dogmata eius ſunt falſa, *haereticus*, ſi vera, *orthodoxus*, in ſenſu nimirum theologico.

§. 748.

§. 748.

Officia erga alios abſoluta ſupra (§. 28. ſeqq.) euoluta etiam irreligioſis et haereticis praeſtanda ſunt, ita vt inde, quod alius homo talis ſit, nulla oriatur differentia. Irreligioſus et haereticus enim, licet talis ſit, homo tamen eſt, nec qua talis nos laedit.

§. 749.

Hinc fluit: 1) *officia perfecta iis praeſtanda eſſe quae homo homini debet, quoad animam, corpus et ſtatum externum* (§. *cit.*) et per conſequens *irreligioſos et haereticos qua tales nec ludibrio alioque opprobrii generi exponendos, nec infamiae nota commaculandos, immo nec contemnendos eſſe, vt reliquas laeſiones taceam.* 2) *Officia imperfecta non minus iis praeſtanda eſſe, quorſum quoad eos praeſertim pertinet omnem dandam eſſe operam vt ad veram religionem manuducantur, aſt non armis* (§. 736.), *ſed argumentis religionem propagandam eſſe.*

§. 750.

Qui religionem profitetur, ſiue ſit haereticus, ſiue orthodoxus, dicitur *pius*, ſi dogmatibus religionis conuenienter viuit, *impius*, ſi non. *Impietas* itaque *non eſt intellectus ſed voluntatis vitium.*

§. 751.

Quae §. 748. *et* 749. *dicta ſunt valent etiam de impio, niſi quod eum contemnere liceat ſine iniuria.* Ex rationis indentitate. Quoad exceptionem vero vid. §. *praec. et* §. 394.

§. 752.

Bellum religionis dicitur quod religionis cauſa geritur. *Quod* itaque *ſi geritur propagandae religionis cauſa, eſt illicitum, ſi vero geritur defendendae religionis cauſa, licitum eſt.* Quoad prius vid. §. 749. n. 2. Poſterius vero inde eſt quoniam defenſio ſemper eſt licita.

§. 753.

Quae de officiis abſolutis hominum erga alios qui ſunt irreligioſi et haeretici dicta ſunt (§. 748.), *valent etiam quoad officia hypothetica* §. 39. *ſeqq. explicata.* Ex rationis identitate.

§. 754.

Hinc fluit e. g. *quae in haereticorum et irreligioſorum dominio ſunt, iis ideo non eſſe eripienda quod tales ſint; pacta cum iis inire non eſſe illicitum iisque fidem datam eſſe ſeruandam; ſi laeduntur omnia locum habere quae de laeſionibus ſupra* §. 337. *ſeqq. dicta ſunt.*

§. 755.

Et hic de pactis et laeſionibus circa religionem notandum, *officia hominum erga alios hypothetica oriri poſſe ex pactis circa religionem initis eatenus, quatenus circa religionem ſecundum* §. 736. *paciſci poſſunt homines, et ex laeſionibus aliorum religionem concernentibus*, quales ſunt e. g. facta libertati conſcientiae aliorum hominum contraria; turbatio ſacrorum externorum aliorum

homi

hominum; iniuriae varii generis quae alterius religionem concernunt.

§. 756.

Caeterum quod attinet in ſpecie officia parentum erga liberos quoad religionem, *religio liberorum qui ad annos diſcretionis nondum peruenerunt dependet a parentibus, qui obligati ſunt ad educandum liberos in ea religione cui ipſi addicti ſunt. Si vero parentes ſunt diuerſae religionis nec patris, nec matris religio ſimpliciter praeferenda, ſed potius tum per concluſum ſocietatis paternae in reſpectu ad parentes definiendum, in qua religione liberi ſint educandi, niſi hoc per pacta nuptialia iam determinatum ſit.* Per §. 548.

Sectio III.

DE IVR. ET OBLIG. HOMINVM IN ECCLESIA VIVENTIVM QVOAD RELIGIONEM.

§. 757.

Eccleſia eſt ſocietas cuius finis eſt idem cultus diuinus externus.

§. 758.

Quum eccleſia ſit ſocietas (§. *praec.*) doctrina de iuribus et obligationibus hominum in eccleſia viuentium quoad religionem, quae nunc tradenda (§. 730.), ad eadem ſumma capita reduci poteſt, quae ſupra in doctrina de ſocietatibus in genere §. 464. *ſeqq.* euoluta ſunt.

 Hinc

Hinc agendum de 1) *conſtitutiuis eccleſiae;* 2) *variis eccleſiarum ſpeciebus;* 3) *ſuperiore directore et officialibus eccleſiae;* 4) *conuentibus eccleſiae et eius concluſis;* 5) *bonis, promiſſionibus et laeſionibus eccleſiae;* 6) *modis quibus membra eccleſiae talia fiunt et eſſe deſinunt.*

TIT. I.

DE CONSTITVTIVIS ECCLESIAE.

§. 759.

Eccleſiae conſtitutiua ſunt 1) *plures homines qui eandem religionem profiteutur;* 2) *finis communis qui eſt cultus diuinus externus;* 3) *conſociatio ad hunc finem obtinendum.* Per §. 466. et definitionem eccleſiae (§. 757.).

§. 760.

Quod ſpeciatim attinet I) primum eccleſiae conſtitutiuum, ii qui vnam eccleſiam conſtituunt ſunt perſona moralis, et ſingula indiuidua eam conſtituentia *membra eccleſiae* dicuntur. Reliqui homines vero, in relatione ad illam eccleſiam, ad quam non pertinent, *extranei* quoad eam dicuntur, quales ſunt irreligioſi et haeretici (§. 747.).

§. 761.

Quae de officiis hominum extra eccleſiam viuentium erga alios quoad religionem dicta ſunt §. 744. *ſeqq. valent etiam de officiis perſonae huius moralis, eccleſiae, quoad eos.* Per §. 468.

§. 762.

§. 762.

Quoad ſecundum eccleſiae conſtitutiuum II) notandum, non impeditum progreſſum ad finem eccleſiae dici *ſalutem eccleſiae*, et ipſum finem quatenus obtinetur *bonum commune eccleſiae.*

§. 763.

Quum finis eccleſiae ſit cultus diuinus externus (§. 757.): *ad ſalutem et bonum commune eccleſiae requiritur eccleſiam non turbari in ſingulorum actuum religioſorum exercitio*, *omniaque ordine et decenter fieri.*

§. 764.

Singuli actus religioſi externi in eccleſia exercendi, qui ſint, in genere determinari nequit, ſed differunt pro religionis diuerſitate. Solent tamen et poſſunt eſſe praedicatio verbi diuini, hymnorum cantus, orationes, ſacramentorum adminiſtratio

§. 765.

Vt in eccleſia omnia ordine et decenter fiant, opus eſt liturgia (§. 733.) quae tempus, ordinem, ceremonias etc. in cultu diuino externo definit. Ius vero eam determinandi dicitur *ius liturgicum*, et leges de ea latae *leges liturgicae* appellantur. Eſtque liturgia vel *ſimplex*, vel *ſolennis*, prout vel non niſi actus religioſi eſſentialia continet, vel et accidentalia.

§. 766.

Tandem III) quoad tertium ſubſtantiale eccleſiae notandum, *quod, licet natura homines obliget vt plures coniunctim Deum externe colant* (§. 740), *ipſa eccleſia ideo non ſit ſocietas a natura conſtituta ſed haec conſociatio voluntate coeuntium fiat.*

§. 767.

Si qui homines amplectuntur religionem et eccleſiam eam exercendi cauſa erigunt, reliqui homines hoc pati debent, ita vt, licet antea fuerint membra eccleſiae alius a qua ſe nunc ſeparant, eccleſia a qua ſe ſeparant tamen ius non habeat eam ſeparationem impediendi. Per §. 581. 736.

§. 768.

Et quoad eccleſiam dantur iura collegialia eccleſiae et iura ſingulorum in eccleſia, nec non obligationes eccleſiae collegiales et ſingulorum ex eccleſia, de quibus valent quae de iis in genere §. 468. *ſeqq.* dicta ſunt. Vnde in applicatione ad eccleſiam non niſi hoc notandum 1) complexum iurium collegialium eccleſiae dici *poteſtatem eccleſiaſticam*; 2) imperium ſocietatis quae eccleſia eſt, quodque eſt pars poteſtatis eccleſiaſticae, dici *imperium ſacrum priuatum* ſeu *eccleſiaſticum,* quum in genere quodlibet imperium ſacra concernens *ſacrum imperium* dicatur; 3) *imperium ſacrum priuatum ad ſacra interna extendi non poſſe, eique res conſcientiae non ſubeſſe* (§. 736.) indeque *ad iura ſingu-*

lorum

lorum quoad eccleſiam eas referri debere (§. 473. num. 1.).

TIT. II.
DE VARIIS ECCLESIARVM SPECIEBVS.

§. 769.

Quum ex dictis §. 766. per ſe pateat eccleſiam, quoad primam ſocietatum in genere diuiſionem in naturales et non naturales ſocietates (§. 477.), eſſe ſocietatem non naturalem, ſicque ad eam hanc diuiſionem applicari non poſſe, ſtatim progredior ad ſecundam ſocietatis diuiſionem in aequalem et inaequalem (§. 478.), quae ad eccleſiam applicari poteſt. Eſt itaque eccleſiae diuiſio quod ſit vel *eccleſia inaequalis*, ſi imperium eccleſiaſticum (§. 768.) ſiue ſolum, ſiue cum reliquis iuribus collegialibus, penes vnum vel nonnulla eccleſiae membra eſt, vel *aequalis*, in caſu oppoſito. De his ſpeciebus ſpecialia quaedam addenda.

§. 770.

De eccleſia aequali ſpeciatim notandum eam, prout in genere ſocietas quaelibet aequalis (§. 478.), duplici modo concipi poſſe, dum eccleſia aequalis vel ideo aequalis eſt, quoniam eius imperium eccleſiaſticum plane non translatum in alium, ſicque eccleſia illud adhuc ha-

ber vel ideo quoniam in alium, aſt extraneum, translatum eſt, e. g. ſi in republica exiſtit in principem, qui ſemper qua talis extraneus eſt. In priori caſu eccleſia aequalis breuitatis cauſa *eccleſia aequalis cum imperio eccleſiaſtico*, in poſteriori caſu *eccleſia aequalis ſine imperio eccleſiaſtico* dicenda eſt.

§. 771.

Eccleſia aequalis cum imperio eccleſiaſtico talis adhuc eſt licet quis vnum alterumque ius collegiale eccleſiae, praeter imperium eccleſiaſticum, habeat. Immo haec eccleſia talis adhuc eſt licet vniuerſa poteſtas eccleſiaſtica ſit penes collegium quoddam repraeſentatitium (§. 585.), quale collegium hic dicitur *Presbyterium*, quod itaque eſt collegium eorum eccleſiae membrorum, quibus ab eccleſia aequali poteſtatis ſuae eccleſiaſticae exercitium commiſſum. Vnde patet eccleſias aequales cum imperio eccleſiaſtico, vel eſſe *eccleſias bresbyterio inſtructas*, vel *eccleſias bresbyterio non inſtructas*.

§. 772.

Si eccleſia eſt eccleſia aequalis ſine imperio eccleſiaſtico, reliquae partes poteſtatis eccleſiaſticae vel itidem penes eum ſunt in quem translatum imperium eccleſiaſticum, vel non. In quo vltimo caſu reliquiae eccleſiaſticae poteſtatis vel penes eccleſiam totam, vel penes vnum alterumue hominem eſſe poſſunt. Quumque

dubio

dubio careat eccleſiam, in caſu quo reliquiae quaedam poteſtatis eccleſiaſticae penes eam adhuc ſunt, earum exercitium presbyterio eum in finem conſtituto committere poſſe, *et talis eccleſia aequalis de qua hic loquor bresbyterio inſtructa eſſe poteſt, licet plerumque huius generis bresbyterium tantam non babeat auctoritatem, ac in caſu §. praec. babet.*

§. 773.

Hactenus de eccleſia aequali. Progredior ad inaequalem, cuius itidem variae ſpecies ſunt poſſibiles, ex quibus vnica ſpeciatim notanda, quae eſt, ſi praeter imperium eccleſiaſticum et reliqua iura collegialia eccleſiae, ſicque tota poteſtas eccleſiaſtica eſt penes vnum membrum eccleſiae, quod eam independenter exercet. Talis eccleſia *Hierarchia* dicitur, et quum talem translationem iurium eccleſiae collegialium, qualem hierarchia requirit, ab eccleſia fieri poſſe ſecundum leges naturales, ex dictis §. 768. iuncto §. 472. manifeſtum ſit, *omnino, eccleſiam bierarchiam eſſe, legibus naturalibus non repugnare, defendi poteſt, ſit ita, religionem ipſam eſſe coactionis neſciam et libertatem conſcientiae cuilibet eſſe conſeruandam, ita vt nec per pactum hoc mutari poſſit* (§. 755); quum exinde, quod eccleſia ſit hierarchia, contrarium non fluat.

§. 774.

Quoad tertiam generalem diuiſionem ſo-

cietatum in liberas et non liberas (§. 480), *tam eam ad eccleſiam applicari poſſe*, *quam eccleſiam in ſtatu naturali ſemper liberam eſſe eccleſiam*, dubio caret.

§. 775.

Quarta generalis ſocietatum diuiſio (§. 482.), quae oritur ex finis ſocietatis diuerſitate, eatenus ad eccleſiam applicari poteſt, quod eccleſiae pro religionis diuerſitate differant, indeque tot earum ſpecies oriantur, quot ſunt diuerſae religiones.

§. 776.

Quoad vltimam generalem ſocietatum diuiſionem (§. 483.), *omnem eccleſiam collegium eſſe ſimpliciter dici nequit*, *ſed potius et ſocietas compoſita*, *ſiue minor*, *ſiue maior eſſe poteſt*. Eccleſiae notioni enim non repugnat eam eſſe ex aliis ſocietatibus, quae itidem eccleſiae ſunt, compoſitam ſeu in eas diuiſam. De quo ſpecialia quaedam addenda.

§. 777.

Si membra eccleſiae quae propter eandem religionem cui addicta ſunt vnam quandam eccleſiam conſtituunt, ſalutis eccleſiae (§. 762.) cauſa in certos coetus diſtributa ſunt, inde oriuntur *eccleſiae minores*, quae ſimul ſumtae totam eccleſiam maiorem conſtituunt. Hi coetus, ſi ſecundum diſtrictus diuerſos quos inhabitant membra eccleſiae a ſe inuicem ita ſeparati vt

qui-

quilibet ſeparatim a reliquis cultum diuinum externum exerceat, quilibet talis diſtrictus ipſe in hoc reſpectu dicitur *parochia* ſeu *paroecia*, et membra eccleſiae quae intra parochiam habitant, in hoc reſpectu dicuntur *parochiani* ſeu *paroeciani.* Vnde patet *non omnia eccleſiae membra eſſe parochianos, nec omnes habitantes intra parochiam eſſe parochianos, vt et domicilium facere parochianum, aſt non ſolum domicilium.*

TIT. III.

DE SVPERIORE, DIRECTORE ET OFFICIALIBVS ECCLESIAE.

§. 778.

Si eccleſia eſt eccleſia aequalis cum imperio eccleſiaſtico, ſuperiorem non habet, ſed potius in ſe ipſam exercet imperium illud cum tota poteſtate eccleſiaſtica. Per def. eccleſiae huius generis et ſuperioris ſocietatis §. 770. *et* 484.

§. 779.

Licet eccleſia aequalis cum imperio eccleſiaſtico presbyterio ſit inſtructa, ſuperiorem tamen non habet et presbyterium non eſt ſuperior, nec eſt director. Presbyterium enim repraeſentat eccleſiam cuius presbyterium eſt, ſicque cum eccleſia quoad collegialia iura pro eadem perſona habendum (§. 771.). Vnde vi notionis ſuperioris et directoris ſocietatis (§. 484.) patet, presbyterium nec pro ſuperiore, nec pro directore habendum eſſe.

§. 780.

§. 780.

Si eccleſia eſt eccleſia aequalis ſine imperio eccleſiaſtico (§. 770.), *extraneus in quem imperium translatum quidem ſuperior eſt, eique eccleſia ſubiecta, eccleſiaſticus ſuperior vero proprie dici nequit.* Quum enim habeat imperium quoddam ſocietatis omnino ſuperior eſt (§. 484.), aſt, cum eccleſiae membrum, minimum qua talis, non ſit, proprie eccleſiaſticus ſuperior dici nequit.

§. 781.

Si eccleſia eſt eccleſia inaequalis, ſpeciatim hierarchia (§. 773.), ſuperiorem habet qui proprie eccleſiaſticus ſuperior eſt. Hic ſuperior qui imperium eccleſiaſticum cum tota eccleſiaſtica poteſtate independenter habet *Papa* dicendus, eiusque imperium eccleſiaſticum *papale imperium.* Et, quum hierarchiae naturae non repugnet, membra eius quae imperio papali ſubiecta in certos coetus eſſe diuiſa, qui ſuperiori, qui habet imperium eccleſiaſticum papali imperio ſubordinatum, ſubiecti ſunt, inde oriuntur epiſcopi et epiſcopatus. Eſt itaque *epiſcopus* ſuperior eccleſiaſticus Papae ſubordinatus, qui habet imperium eccleſiaſticum in particularem quendam coetum hierarchiae. Diſtrictus vero quem is coetus inhabitat, dicitur *epiſcopatus.*

§. 782.

Licet eccleſiam habere ſuperiorem, ſpeciatim Papam et epiſcopos, ſanae rationi non repugnet: imperi-

perium eccleſiaſticum eorum tamen ad ſacra interna et res fidei extendi, et libertatem conſcientiae infringi per tales ſuperiores, omnino ſanae rationis principiis repugnat. Quoad prius videantur quae §. 773. dicta iam ſunt. Quoad poſterius §. 736.

§. 783.

Praeter ſuperiores eccleſiaſticos etiam dantur *directores eccleſiaſtici* (§. 484), de quibus repetenda quae §. *cit. ſeqq.* dicta ſunt, et *officiales eccleſiaſtici* varii generis, de quibus ſpecialia quaedam addenda.

§. 784.

Variae quae, ſi eccleſia ſecundum ſuam naturam et eſſentiam conſideratur, concipi poſſunt functiones eccleſiae praeſtandae, reduci poſſunt ad duas claſſes. Aut enim tales functiones ſunt per quas ipſi actus religioſi externi in aliorum vtilitatem peraguntur, veluti praedicatio verbi diuini, ſacramentorum adminiſtratio etc, vel non. Officiales eccleſiae prioris generis *clerici* dicendi, qui itaque ſunt officiales eccleſiae, qui ad ipſos actus religioſos peragendos perfecte ſunt obligati. Poſterioris generis officiales, vel ſunt *auxiliatores clericorum*, vel *non*, prout officium vel tale eſt per quod clerico in officio ſuo adſiſtunt, vel non.

§. 785.

Clericorum ſpecies quae ex ipſius clericatus diuerſitate oriuntur ſecundum ius naturae con-

concipi nequeunt, licet pro diuerſitate qualitatum clericatui ſuperadditarum variae concipi poſſunt ſpecies, praeſertim ſi eccleſia eſt hierarchia. Quodſi enim in hierarchia poteſtas eccleſiaſtica penes clericos, qui qua tales non niſi officiales eccleſiae ſunt, eſt, ita, vt ſub Papa et dependenter ab eo clerici quoad particulares coetus ſubordinatam poteſtatem eccleſiaſticam vel totam, vel quoad nonnullas eius partes habeant, inde variae oriuntur qualitates clericatui ſuperadditae ex quibus diuiſiones clericorum formari poſſunt. Aſt nolo in his poſſibilitatibus euoluendis vlterius progredi, ſatius ducens eam clericorum diuiſionem a qualitate clericatui ſuperaddita hic tradi, quae quoad quamlibet eccleſiam locum habet.

§. 786.

Talis eſt diuiſio clericorum in tales quorum officio cura animarum membrorum certi coetus eſt annexa, et qui tales non ſunt. In priori caſu *paſtores in ſenſu latiori* dici poſſunt, qui vel *parochi* ſeu *paroeci* ſunt, ſi ii quorum animarum curam habent, ſunt membra eccleſiae quae parochiam conſtituunt (§. 777.), vel *paſtores ſtricte ſic dicti*, ſi alia membra eccleſiae ſunt ii quorum animarum curam gerunt e. g. clerici caſtrenſes, aulici etc. In poſteriori caſu *clerici non paſtores* appellandi ſunt e. g. canonici.

§. 787.

§. 787.

Quoad clericos paſtores qui ſunt parochi praeſertim notandum vnius parochiae plures poſſe eſſe parochos, et vnum parochum pluribus parochiis inſeruire poſſe. In priori caſu primus inter pares dicitur *paſtor in ſenſu ſtrictiſſimo*, et reliqui *diaconi* appellantur. In poſteriori caſu parochia inter cuius fines parochus habitat dicitur *mater*, altera, *filia*, et parochiani filiae, *filialiſtae* appellantur.

§. 788.

Conſtitutio officialium eccleſiae eſt ius eccleſiae collegiale ab eo exercendum penes quem eſt poteſtas eccleſiaſtica, ſicque pro diuerſitate caſuum vel coetus ipſe cui inſeruit, vel presbyterium, vel ſuperior eccleſiaſticus officiales eccleſiae conſtituit (§. 491.). Fieri tamen poteſt alicui competere ius praeſentandi ſubiectum cui officium eccleſiaſticum conferendum, ei, qui vi poteſtatis eccleſiaſticae officiales conſtituit. Qui hoc iure gaudet dicitur *patronus*, ſiue ei plura iura circa conſtitutionem officialium eccleſiae competant, ſiue non.

§. 789.

Ius patronatus eſt complexus iurium et obligationum patronorum. *Licet* itaque *ius praeſentandi ſit character eſſentialis patroni, idque verſetur circa ius eccleſiae collegiale conſtituendi officiales eccleſiae, ius patronatus tamen non praeciſe iura, ſed et obligationes ſub ſe continet, quae dicuntur iura oneroſa.*

§. 790.

§ 790.

Ius patronatus aut penes vnum, aut penes plures eſt, ſiue vnus ſit perſona ſingularis, ſiue perſona moralis. Et ſi penes plures eſt, hi dicuntur *compatroni*. Nec minus vel *reale*, vel *perſonale* eſt, prout vel rei, vel perſonae ſubiectiue inhaeret.

TIT. IV.

DE CONVENTIBVS ET CONCLVSIS ECCLESIAE.

§. 791.

Conuentus eccleſiae ſunt duplicis generis pro finis diuerſitate. Aut enim membra eccleſiae conueniunt actus religioſos externos peragendi cauſa, aut deliberandi et concluſa formandi cauſa in negotiis eccleſiae. Conuentus prioris generis dici poſſunt *religioſi conuentus*. Conuentus poſterioris generis *conuentus non religioſi* appellandi.

§. 792.

Conuentus religioſi, tam ſtati, quam imperati, vi poteſtatis eccleſiaſticae, ſpeciatim iuris liturgici, definiri debent, a qua etiam dependet quot et quales actus religioſi externi in conuentibus religioſis peragendi ſint ita vt nec ſabbatum, quod eſt dies ſeptima conuentui religioſo ſtato deſtinata, *ſit iuris naturalis.* Conuentus hos ipſos enim, et modum in iis Deum colendi, ad ea quae omnia eccleſiae membra

aequa-

aequaliter tangunt pertinere dubio caret. Quae cum ita ſint vi §. 768. *et* 765. ad iura collegialia eccleſiae et ſpeciatim liturgicum ius referri debent ea quae ad ea referenda eſſe diximus. Quod in ſpecie ſubbalatum attinet, vi principii iuris naturae (§. 351. *Intr.*) patet ſabbaticum cultum non eſſe iuris naturalis.

GOTTFR. BOETTNERI Diſſ. I. et II. *an et quatenus ſabbatum lege naturae praecipiatur.* Lipſ. 1711.

§. 793.

Actus religioſi externi ipſi in conuentibus religioſis tam ſtatis quam imperatis exercendi, differunt pro religionis diuerſitate. Solent tamen et poſſunt quoad omnes religiones hi eſſe, quod precibus et hymnis Deus colatur, dogmata eccleſiae et modus iis conformiter agendi doceantur, ſacramenta eccleſiae adminiſtrentur. Omnia itaque quae quoad conciones, hymnos, preces, ſacramentorum adminiſtrationem per ipſam rei naturam et eſſentiam, ſi religio cui eccleſia addicta naturalis eſt, et, ſi eſt reuelata, per reuelationem diuinam determinata non ſunt, ab eo qui poteſtatem eccleſiaſticam habet vi eius, ſpeciatim vi iuris liturgici, determinari debent. Videatur demonſtratio §. *praec.* adiecta. Quod vero ea quae natura et reuelatio diuina determinant mutari nequeant vi poteſtatis eccleſiaſticae patet per §. 768.

§. 794.

Conuenticula ſunt conuentus religioſi nonnullorum eccleſiae membrorum, in loco conuentibus religioſis eccleſiae non deſtinato, ſeu, quod idem eſt, conuentus religioſi priuati. *Priuata actuum religioſorum expeditio* dicitur, quae fit extra locum conuentibus religioſis publicis deſtinatum. *Licet* itaque *in conuenticulis priuata actuum religioſorum expeditio fiat, ideo tamen et citra conuenticula fieri poteſt, veluti ſi paterfamilias cum domeſticis Deum externe colit.*

§. 795.

Quodlibet membrum eccleſiae obligatum eſt vt in conuentibus religioſis cum reliquis membris Deum colat. Quatenus itaque *conuenticula et actuum religioſorum priuata expeditio ita inſtituuntur, vt haec obligatio non negligatur, eccleſia permittere debet conuenticula et priuatam actuum religioſorum expeditionem.* Eccleſiae quodlibet membrum obligatum eſſe ad Deum colendum in conuentibus religioſis eccleſiae cum reliquis eccleſiae membris, ex §. 740. et §. 533. deducendum eſt. Aſt quum, quatenus membrum eccleſiae huic obligationi ſatisfacit, pro ſuo arbitrio Deum colere poſſit, mediante hoc principio reliqua inde fluunt.

§. 796.

§ 796.

Quod attinet conuentus eccleſiae non religioſos (§. 791.), ii tam in eccleſia quae eſt aequalis ſocietas poteſtate eccleſiaſtica inſtructa, quam in eccleſia quae eſt inaequalis ſocietas, locum habere poſſunt: et, ſi in hierarchia conuentus eccleſiaſticus non religioſus vi poteſtatis eccleſiaſticae indicitur, talis conuentus dicitur *concilium* ſeu *ſynodus*.

§. 797.

Ad conuentus eccleſiaſticos non religioſos vocari debent ſingula eccleſiae membra, ſi penes totam eccleſiam eſt poteſtas eccleſiaſtica vel tota, vel pars eius, et de eius partis exercitio deliberandum. Si vero poteſtas eccleſiaſtica non eſt penes totam eccleſiam, ii tantum vocandi ſunt qui habent eam, veluti membra presbyterii, ſeu ſi eccleſia eſt hierachia, clerici tantum, ſi reliqua membra a poteſtate eccleſiaſtica in totum ſunt excluſa. Per §. 791. *et* 499.

§. 798.

Caeterum quae de caſibus in quibus concluſo ſocietatis opus eſt vel non in negotiis ſocietatis §. 494., *vt et de concluſis, quoad vota ipſa* §. 496. *ſeqq. modum ex votis formandi concluſum* §. 505. *ſeqq. concluſorum vim et efficaciam* §. 513. *ſeqq. dicta ſunt, ad eccleſiam ſimpliciter applicanda ſunt, et facile applicare poſſunt, modo* 1) *quoad concluſorum vim*

et efficaciam notetur ratione §. 513. *concluſum eccleſiae, ſi eſt lex conventionalis, dici* legem conuentionalem eccleſiae *et in ſpecie, ſi concluſum eſt concluſum concilii*, canonem, *a quo in hierarchia papali differt* conſtitutio papalis, *non per concluſum concilii, ſicque ſocietatis, ſed per decretum ſuperioris, ſcilicet papae, ortae:* 2) *quoad caſum a iure maiorum exceptum* (§. 516.) *huc potiſſimum res conſcientiae referri debere* (§. 768. n. 3.).

TIT. V.

DE BONIS, PROMISSIONIBVS ET LAESIONIBVS ECCLESIAE.

§. 799.

Quae de bonis ſocietatis in genere dicta ſunt §. 520. *ſeqq.* valent etiam de bonis eccleſiae. Vnde per ſe patet, quae bona *eccleſiae bona* ſeu *res eccleſiaſticae* dicenda, et quid ſit *aerarium eccleſiaſticum.* Vnde hic tantum addenda quae de bonis eccleſiae ſpeciatim notanda ſunt.

§. 800.

Quum eccleſiam rebus ſuis ad finem ſuum obtinendum vti neceſſe ſit, facile patet eas inſeruire cultui diuino externo, aſt vel immediate et proxime, vel non niſi mediate et remote. Prioris generis res *ſacrae* appellantur, reliquae ſimpliciter *bona eccleſiaſtica.*

§. 801.

§. 801.

Res ſacrae itaque *ſunt aedificia conuentibus eccleſiae religioſis deſtinata, vaſa quibus in adminiſtratione ſacramentorum vtuntur clerici* etc.

§. 802.

Res ſacrae non habent diuerſam ab aliis rebus qualitatem internam, nec indigent, antequam adhibentur ad vſum cui deſtinatae, dedicatione, cuntione ſeu benedictione. Interim hae res, quamdiu in expediendis actibus religioſis externis iis vtitur eccleſia, temere vſui profano non ſunt applicandae. Quoad prius, quoniam ex earum natura hoc deduci nequit. Ergo §. 351. *Intr.* Poſterius inde fluit, quoniam talis vſus cultui diuino externo facile impedimento eſſe poſſet.

§. 803.

Reliquae res eccleſiae praeter ſacras ſeu bona eccleſiaſtica ſiue ſint, vt aiunt, *ipſae ſubſtantiae*, veluti agri, horti, ſyluae, aedes, parata pecunia, ſiue *reditus et prouentus ex ſubſtantiis aliorum*, veluti cenſus, decimae, ſunt vel *bona eccleſiaſtica communia*, vel *beneficia eccleſiaſtica.* Dicuntur vero bona eccleſiaſtica *beneficia eccleſiaſtica* ſeu *praebendae*, ſi iis vtitur fruitur officialis eccleſiae pro officio quod eccleſiae praeſtat, iisque opponuntur *bona eccleſiaſtica communia.* In hoc ſenſu itaque a beneficiis differunt

ſalaria officialium eccleſiae, et eorum, qui parochi ſunt, *iura ſtolae*, quum ſalaria ſint parata pecunia eccleſiae, et iura ſtolae parata pecunia parochianorum, quam accipit pro officio officialis et in ſpecie parochus. Interim *beneficium eccleſiaſticum in ſenſu generali ſumtum*, pro emolumentis quae officialis eccleſiae pro officio quod gerit in eccleſia accipit, ſalarium et iura ſtolae ſub ſe comprehendit.

§. 804.

Caeterum de omnibus rebus eccleſiaſticis, ſiue ſint res ſacrae, ſiue bona eccleſiaſtica, notandum, eas nec ratione dominii ipſius, nec ratione acquiſitionis, amiſſionis vel conſeruationis peculiarem indolem ab aliis rebus diuerſam habere. Vnde quoad praeſcriptionem, adminiſtrationem etc. hic omnia valent, quae in genere quoad res alias valent. Ex natura harum rerum enim deduci nequit diuerſitas quaedam. Ergo §. 351. *Introd.*

§. 805.

Haec ſufficiant de bonis eccleſiae. *Quoad promiſſiones et laeſiones non ſolum ſi eccleſiae promittitur, ſed et ſi promittit, vt et nonſolum ſi laeditur, ſed et ſi laedit, valent tam quae in genere de promiſſionibus et laeſionibus ſuis locis dicta ſunt, quam quae quoad ſocietates in genere ratione promiſſionum et laeſionum §. 524. ſeqq. docuimus, hic locum habent,*

nec

nec hic dantur ſingularia eccleſiae iura ſeu obligationes. Quum et quoad promiſſiones et laeſiones ex harum rerum natura diuerſitas quaedam deduci nequeat. Ergo §. 351. *Introd.*

TIT. VI.

DE MODIS QVIBVS MEMBRA ECCLESIAE TALIA FIVNT ET ESSE DESINVNT.

§. 806.

Quae de modis quibus membra ſocietatis in genere talia fiunt, et effectibus acquiſiti noui ſtatus ſocialis: vt et receptione nouorum membrorum ſocietatis §. 531. 532. 533. dicta ſunt, quoad eccleſiae membra itidem locum habent. Similiter, quae in ſpecie de ſuperiore in ſocietate inaequali dicta ſunt (§. 534.), et ad eccleſiam applicari poſſunt, ſi eccleſia hierarchia eſt, ſicque ſuperiorem habet. Quae cum ita ſint non niſi de iis qui membra eccleſiae fieri poſſunt, et ſpeciatim de clericis aliisque officialibus eccleſiae quaedam addenda ſunt ratione modorum quibus tales fiunt.

§. 807.

Vt quis eccleſiae membrum fieri poſſit, requiritur eum religionem, cui eccleſia addicta eſt, profiteri, aut minimum a parentibus fidelibus natum eſſe, licet eccle-

ſia parentes fideles cogere nequeat vt liberos ſuos in numerum membrorum eccleſiae recipi curent, et liberis liceat, quando ad annos diſcretiones venerunt, recedere ab ea eccleſia et ad aliam tranſire religionem quam pro vera habent. Vi def. eccleſiae (§. 757.) et libertatis naturalis in qua parentes adhuc viuunt hoc reſpectu, quum poteſtati eccleſiaſticae liberorum educatio non ſit ſubiecta, vt et vi principii §. 736. obuii.

§. 808.

Quod ſpeciatim attinet clericos, hi tales fiunt per acquiſitionem officii quo eccleſiae inſeruiunt actus religioſos externos peragendo, et tum habilis quis eſt ad clericatum, ſi ea capacitate inſtructus eſt quae requiritur ad officii ſui exercitium. Idem valet de reliquis eccleſiae officialibus praeter clericos. Vi definitionis officialis eccleſiae (§. 783.).

§. 809.

Si quis clericus factus eſt ſimul acquiſiuit beneficium eccleſiaſticum, ſicque acquiſitio officii et beneficii eccleſiaſtici non differunt inter ſe. Vi definitionis beneficii eccleſiaſtici §. 803.

§. 810.

In acquiſitione officii clericalis per conſequens et beneficii varii actus a ſe inuicem diuerſi concipi poſſunt, quales ſunt: 1) *Nominatio clerici*, quae eſt deſignatio certae perſonae ad

ad clericatum promouendae: 2) *Vocatio clerici*, quae eſt actus quo nominato declaratur quod nominatus ſit, eo fine facta, vt declaret an velit officium hoc ſuſcipere, vel non: 3) *Introductio clerici*, quae eſt actus quo clericus in actualem poſſeſſionem officii et beneficii deducitur: 4) *Examen clerici*, quod eſt inquiſitio in candidati habilitatem ad clericatum. 5) *Praeſentatio ad clericatum*, quae eſt actus quo petimus eum, cui competit ius conferendi officium clerici, vt a nobis nominatum admittat ad clericatum. 6) *Confirmatio*, quae eſt praeſentationis approbatio. Ex quarum notionum comparatione fluit 1) *praeſentationem locum habere non poſſe niſi adſit praeter nominantem alius a cuius voluntate dependet admiſſio candidati ad clericatum.* 2) *Nominantem, vocantem et praeſentantem eandem perſonam eſſe poſſe, ſed et poſſibile eſſe alium nominare, alium vocare, alium praeſentare: ſeu alium nominare et vocare, alium vero praeſentare: vt et alium nominare tantum, tumque alterum vocare et praeſentare.* 3) *Nominationem, vocationem, examen et introductionem ſemper fieri quoties clericatus conferendus, praeſentationem et confirmationem vero non, ſed hos actus praeſupponere caſum quo praeter nominantem adeſt a cuius conſenſu dependet candidatum admitti ad clericatum. Caeterum notandum haec etiam valere mutatis mutandis de reliquis officialibus eccleſiae.*

§. 811.

Clericorum reliquorumque officialium conſtitutio eſt pars poteſtatis eccleſiaſticae, ſicque ei competit penes quem ea pro caſuum diuerſitate vi §. 764. ſeqq. vel tota eſt, vel haec eius pars. Qui itaque eam habet nominat, vocat, examinat et introducit nouum clericum, ita vt in ſtatu naturali praeſentatio et confirmatio concipi nequeant niſi eccleſia ſit talis aequalis eccleſia cuius poteſtas eccleſiaſtica penes extraneum eſt, vel inaequalis ſocietas ſit, tum enim, ſi vel adeſt patronus, vel ipſa eccleſia particulam hanc poteſtatis eccleſiaſticae adhuc habet, patronus vel eccleſia nominatum et vocatum vel vocandum praeſentant ei qui imperium eccleſiaſticum habet, qui examinat, confirmat et introducit nouum clericum ſeu alium officialem. Conſtitutionem clericorum aliorumque officialium eccleſiae eſſe partem poteſtatis eccleſiaſticae patet per §. 768. et 783. Praeſentationem praeſupponere caſus in ipſa theſi expreſſos, inde eſt, quoniam nemo ſibi ipſi praeſentare poteſt ſubiectum ad officium eccleſiaſticum (§. 810. n. 5.). Praeſentatione facta eum, cui praeſentatio facta, confirmare, ex confirmationis notione (§. *cit.* n. 6.) patet: quod vero etiam examinet et introducat inde eſt, quoniam non praeſentans, ſed hic proprie officium conferens dicendus.

§. 812.

§. 812.

Praeter actus in §. praec. recenſitos nihil aliud requiritur vt clericus talis fiat, ita vt ſecundum ius naturae ordinatio concipi nequeat. Officium enim facit clericum (§. 784.), ad eius acquiſitionem vero ſufficiunt dicti actus.

§. 813.

Eccleſiae membra talia eſſe deſinunt, ſi 1) *eccleſia diſſoluitur*, quod aliter quam mutuo membrorum eccleſiae diſſenſu fieri nequit (§. 536. *ſeqq.*), quum reliqui modi hic locum habere nequeant; 2) *recedunt ab hac ſocietate*, quod ſemper licitum quoties membrus quoddam mutat religionem (§. 539. num. 3); 3) *excluduntur ab eccleſia*, quae excluſio *excommunicatio* dicitur, eſtque in caſibus, in quibus in genere excluſio a ſocietate locum habet (§. 540.), licita.

IO. CHRIST. MEYER *Commentatio qua ius excommunicandi eccleſiae vindicatur.* Goett. 1753.

§. 814.

Quod attinet ſpeciatim ea eccleſiae membra quae ſunt officiales eccleſiae, haec tales, nimirum officiales, eſſe deſinunt, ſi officium ſuum amittunt, vel ita, vt officium quod quis hactenus habuit commutetur cum alio in eadem eccleſia, quo caſu *tranſlocatio* fieri dicitur, vel

non

non. In poſteriori caſu amittitur per 1) *mortem;* 2) *dimiſſionem*, ſi viuens officium ſuum amittit officialis, eaque impetratur vel praeuia *reſignatione*, ſi volens officialis dimittitur, vel non, tumque vel *dimiſſio honeſta*, vel *depoſitio* eſt, prout in poenam vel non fit, vel fit.

LIBER IV.

IVRISPRVDENTIA NATVRALIS STRICRE SIC DICTA PRACTICA.

§. 815.

Abſoluta iurisprudentia naturali ſtricte ſic dicta theoretica quoad omnes partes in quas §. 13. *Intr.* diuiſa, ſequitur iurisprudentia practica, ſecundum ordinem quem ſiſtit §. 1.

§. 816.

Quum *practica iurisprudentia* veritates de iuribus et obligationibus, quae concernunt modum expediendi negotia iuridica, complectatur, *differt ea ab ipſa praxi iuridica, quae eſt ipſa applicatio iuris ad facta, et ſiſtit theoriam praxeos iuridicae, quae doceri poteſt, quum praxis ipſa doceri nequeat, ſed exercenda ſit, ſecundum theoriae praxeos ſeu iurisprudentiae practicae praecepta.*

§. 817.

Modus expediendi negotia iuridica praeſertim differt prout ſunt vel litigioſa, vel non litigioſa, hinc ſecundum hanc diuerſitatem de negotiorum iuridicorum expeditione agendum, prout et ſecundum eam iurisprudentia practica §. 14. *Introd.* in litigioſam et non litigioſam diuiſa. Dicitur vero negotium iuridicum tum *litigioſum*, ſi conſiſtit in tali contradictione, qua vnus affirmat ſe ius habere ad prae-

praeſtationem quandam, alter vero hoc negat. In caſu oppoſito itaque *non litigioſum* appellatur.

(I)

IVRISPRVDENTIA PRACTICA NON LITIGIOSA.

§. 818.

Magna eſt negotiorum non litigioſorum, aſt tamen iuridicorum, moles, quorum expeditio ad iuridicam praxin pertinet, ſicque hic in theoria huius praxeos regulae de eorum expeditione tradendae. Quum vero dentur *generalia quaedam* de eorum expeditione notanda, ea praemittenda ſunt, tumque *ſingula haec negotia* pertractanda.

Sectio I.

DE EXPEDITIONE NEGOTIORVM IVRIDICORVM NON LITIGIOSORVM IN GENERE.

§. 819.

Generalia de expeditione negotiorum non litigioſorum hic praemittenda redeunt ad 1) *perſonas per quas eorum expeditio fit;* 2) *modos proponendi quae proponenda ſunt;* 3) *formam externam negotiorum non litigioſorum;* 4) *congregationes negotii iuridici cuiusdam expediendi cauſa.*

TIT.

TIT. I.
DE PERSONIS PER QVAS NEGOTIORVM NON LITIGIOSORVM EXPEDITIO FIT.

§. 820.

In expeditione negotiorum non litigioſorum obuenientes perſonae ſunt vel *principales*, quorum eſt negotium quod expediendum, vel *minus principales*, quorum negotium non eſt illud quod expediendum. Perſonae principales pro ipſorum negotiorum diuerſitate differunt et diuerſis diſtinguuntur nominibus, ſuntque tales e. g. teſtator, paciſcentes. Minus principales perſonae vero, vel ideo adſunt vt nomine principalis abſentis negotium expediant, quae dicuntur *Mandatarii*, vel ideo vt fidem faciant, quae *Teſtes* appellantur, vel ideo vt conſiliis ſuis instruant principalem perſonam, quae *Adſiſtentium* nomine veniunt, vel ideo vt negotio cuidam conciliando inſeruiant, ſub *Proxenetarum* nomine venientes.

§. 821.

Quod attinet primam perſonarum minus principalium ſpeciem *mandatarios*, de iis notandum 1) *a cuiuslibet arbitrio dependere an in propria perſona negotium explicare velit, an vero per mandatarium, niſi negotii natura et indoles poſtulet praeciſe illud in propria perſona explicari;* 2) quem-

quemlibet mandatarium probare debere quod talis a principali ſit conſtitutus; quod ſit per declarationem a principali factam, quae vel ore nuncupatur, vel per ſcripturam fit. Prius ex adiecta limitatione facile patet. Poſterius inde fluit, quod aliter non conſtet de hac qualitate, de qua tamen, ne fruſtra agatur, conſtare debet.

§. 822.

De ſecunda perſonarum acceſſoriarum ſpecie, teſtibus nimirum, notandum eos non niſi tum neceſſario adhibendos eſſe, ſi negotium tale de quo aliter quam per teſtium dicta conſtare nequit, tumque tot et tales teſtes adhibendos eſſe, quot et quales fidem facere poſſunt. Ratio enim cur teſtes adhibentur eſt vt faciant fidem. Ex hac ratione vero numerus et qualitas teſtium determinari nequeunt.

§. 823.

Quoad tertiam et quartam perſonarum acceſſoriarum ſpeciem, *adſiſtentes* nempe et *proxenetas*, *ab arbitrio perſonarum principalium dependere an eorum opera vti velint, vel non, vt et quos eligere et quot eligere velint. Caeterum quid iuſtum ſit inter principalem et adſiſtentem, ex iis quae de conſilio §. 276. Introd. dicta ſunt, et quid iuſtum ſit inter perſonam principalem et proxenetam, ex dictis de commendatione §. 274. 275. l. c. diiudicandum, quatenus proxeneta non ſimul mandatarius eſt.*

TIT.

TIT. II.
DE MODO PROPONENDI IN NEGOTIIS NON LITIGIOSIS.

§. 824.

Quae in negotiorum non litigioſorum expeditione proponenda ſunt, vel *per verba ore prolata*, vel per *ſcripta* proponuntur. *Secundum ius naturae vero a cuiuslibet arbitrio dependet an, ſi in expeditione negotiorum non litigioſorum aliquid proponendum, hoc vel illo modo proponere velit quod proponendum eſt.* Siue enim hoc, ſiue illo modo aliquid proponatur, conſtat de eo quod proponitur. Ergo.

§. 825.

Siue oretenus, ſiue per ſcripta proponantur proponenda in negotiorum non litigioſorum expeditione, ratione proponendi modi omnia redeunt ad 1) linguam qua vtendum, ſeu *idioma*; 2) certas et determinatas verborum conceptiones quibus proponenda proponi debent, ſeu *formulas*; 3) id ipſum quod proponendum, ſeu *materialia propoſitionis*. Speciatim vero, quod attinet proponendi modum per ſcripturam, circa eum praeterea reſpiciendum ad 4) *ſtylum*, ſeu verborum materialia ſcripti exprimentium delectum, combinationem et diſpoſitionem; 5) *datum*, ſeu tempus et locum quo ſcriptura eſt confecta; 6) *nominis ſubſcriptionem* et

ſignaculi appoſitionem; 7) complicationem et obſignationem.

§. 826.

Secundum ius naturae modus proponendi, ſiue oretenus ſiue per ſcripturam aliquid proponatur, non niſi eatenus determinatus eſt, quod omnia ita proponenda ſint vt 1) materialia propoſitionis intelligant ii cum quibus nobis res eſt, et 2) ea non negligantur quae faciunt ad fraudes praecauendum et ad probationem voluntatis proponentis. Haec enim ſunt quae fluunt ex natura actus quo aliquid proponitur. Vnde patet *ius naturae ignorare certum idioma et formulas, nec ſtylum ſecundum hoc ius eſſe attendendum, aſt datum, ſubſcriptionem et ſignaculi appoſitionem pro circumſtantiarum diuerſitate vel neceſſariam, vel minimum vtilem eſſe.*

TIT. III.

DE FORMA EXTERNA NEGOTIORVM NON LITIGIOSORVM.

§. 827.

Sub *formae externae* negotiorum non litigioſorum nomine mihi venit, determinatus modus in expeditione negotiorum non litigioſorum obſeruandus.

§. 828.

Ad formam externam negotiorum non litigioſorum itaque *pertinent locus vbi, perſonae per quas, tempus quo, ſingulae actiones externae perſonarum*

per

per quas expeditio fit, omniaque alia quae in expeditione negotiorum non litigioſorum ſunt determinata.

§. 829.

Pars formae externae negotiorum non litigioſorum eſt *das Ceremoniel*, quod eſt ea pars formae externae actus non litigioſi, quae verſatur circa ea, quae perſonae expedientes negotia ratione eorum quae influunt in honorem obſeruare debent.

§. 830.

Forma externa negotiorum non litigioſorum vel talis eſt, quae ex actus natura fluit, vel talis, quae per voluntatem alicuius determinatur. Prior eſt forma *naturalis*, poſterior *poſitiua*. De naturali hic agendum.

§. 831.

De forma externa naturali in genere notandum *quae ad eam pertinent absque nullitate omitti non poſſe* (§. 827.) *et eam nunquam ſub ſe comprehendere talia, quae pertinent ad vulgo ſic dictum ceremoniel*. Sunt enim homines natura aequales, nec talia ex natura et eſſentia rerum deduci poſſunt (§. 352. *Introd.*).

TIT. IV.

DE CONGREGATIONIBVS NEGOTIA IVRIDICA NON LITIGIOSA EXPEDIENDI CAVSA.

§. 832.

Quum ſaepe negotia non litigioſa iuridica

talia ſint, quae requirunt praeſentiam eorum a quibus expedienda ſunt, inde oriuntur *congregationes negotia non litigioſa expediendi cauſa*, ſi eo fine in certo quodam loco conueniunt. Aſt quum, qui conueniunt, vel membra ſocietatis cuiusdam eſſe poſſint, vel non, hae congregationes vel ſunt conuentus ſocietatis (§. 492.), vel non.

§. 833.

Si congregatio eſt conuentus ſocietatis, membra ſocietatis vel in propria perſona comparere, vel alium ex ſocietate mandatarium conſtituere debent, extraneus vero mandatarius eſſe nequit. Aſt, ſi congregatio conuentus ſocietatis non eſt, quilibet mandatarius eſſe poteſt, qui habilis eſt ad expediendum negotium cuius cauſa congregatio fit. Prius ex definitione conuentus ſocietatis (§. 492.) patet. Cur vero, quod attinet poſterius, mandatarii non admittendi ſint, nulla allegari poteſt ratio.

§. 834.

Si congregatio eſt conuentus ſocietatis, ea fieri debet in loco conſueto et praeuia indictione a directore facta, niſi conuentus ſint ſtati conuentus, tumque facta a directore propoſitione deliberandum et concluſum formandum ſecundum dicta §. 492. *ſeqq. Si vero congregatio non eſt conuentus ſocietatis, de loco et tempore conuenire debent, tumque praeuia mandatariorum legitimatione negotium ipſum, cuius expediendi cauſa congregatio inſtituta, peragendum, et per con-*

conſenſum eorum quorum intereſt ad finem perducendum. In priori caſu enim ſunt ſocii qui conueniunt, in poſteriori vero non.

SECTIO II.

DE IPSIS NEGOTIIS IVRIDICIS NON LITIGIOSIS.

§. 835.

Abſolutis iis quae de expeditione negotiorum iuridicorum in genere praemittenda erant (§. 818.), ad doctrinam de ipſis negotiis iuridicis non litigioſis me conuerto. Quum vero haec negotia eius indolis ſint vt certi generis iura et obligationes vel non concernant, vel concernant, inde oritur eorum diuiſio in *generalia* et *ſpecialia.* Praemiſſis itaque generalibus negotiis de ſpecialibus agendum.

MEMBRVM I.

DE NEGOTIIS IVRIDICIS NON LITIGIOSIS GENERALIBVS.

§. 836.

Negotia iuridica non litigioſa generalia, commode ad has claſſes referri poſſunt, quod alia *acquiſitionem*, alia *amiſſionem*, alia *probationem*, alia *conſeruationem* iurium et obligationum concernant. De ſingulis his negotiis itaque hic agendum.

TIT. I.
DE NEGOTIIS ACQVISITIONEM IVR. ET OBLIGAT. IN GENERE CONCERNENTIBVS.

§. 837.

Ad huius generis negotia referri poſſunt I) *negotium acquiſitionis poſſeſſionis*, ſiue haec acquiſitio fiat praeuia traditione, ſiue ea non praeuia; II) *Conſtitutio mandatariorum*; III) *Ratificationes*; IV) *Inſtructiones*; V) *Punctationes*; VI) *Supplicationes* etc.

§. 838.

Quum in ſingulorum horum negotiorum expeditione omnia eo redeant vt, quatenus aliquid proponitur, ſingula quae negotii indoles requirit, diſtincte proponantur ſiue oretenus, ſiue interueniente ſcriptura, et, ſi nihil proponendum, veluti in acquiſitionis poſſesſionis negotio, fiat, quod fieri negotii indoles requirit, haec vero ex cuiuslibet horum negotiorum natura per ſe fluant, plura de iis non addo.

TIT. II.
DE NEGOTIIS AMISSIONEM IVR. ET OBLIG. IN GENERE CONCERNENTIBVS.

§. 839.

Quae huc referri poſſunt negotia ſunt haec:

haec: I) *Renunciationes;* II) *Diuiſiones;* III) *Nouationes;* IV) *Ceſſiones;* V) *Delegationes;* VI) *Conſenſus declaratio* in actus qui ſine noſtro conſenſu non ſubſiſtunt etc. Aſt ex dictis §. 838. rationibus nec hic ad ſpecialia deſcendo.

TIT. III.

DE NEGOTIIS PROBATIONEM IVR. ET OBL. IN GENERE CONCERNENTIBVS.

§. 840.

Negotia iuridica generalia quae probationem iurium et obligationem concernunt, ſunt I) *Specificationum rerum certi generis confectio;* II) *Rationum redditio;* III) *Confeſſio factae expletionis obligationis;* IV) *Teſtimonii dictio* etc. quae exempli cauſa allegaſſe ſufficit (§. 838.).

TIT. IV.

DE NEGOTIIS CONSERVATIONEM IVR. ET OBLIG. IN GENERE CONCERNENTIBVS.

§. 841.

Licet dentur varia media conſeruandi iura et obligationes (§. 521. *ſeqq. Intr.*), ex ipſorum horum mediorum indole tamen facile patet negotia non litigioſa huc ſpectantia, quaeque quoad homines in ſtatu naturali viuentes obuenire poſſunt, redire ratione conſeruantis ad

actum *proteſtationis* et *reproteſtationis*, vt et *reſeruationis iuris competentis*: ratione eius vero contra quem conſeruaturus iura et obligationes ſecuritatem quaerit, ad *cautionis praeſtationem* et declarationem per *litteras reuerſales* factam. Aſt ex dicta §. 838. ratione ſingulorum horum negotiorum theoria hic non euoluenda.

MEMBRVM II.
DE NEGOTIIS IVRIDICIS NON LITIGIOSIS SPECIALIBVS.

§. 842.

Negotia iuridica non litigioſa ſpecialia ſecundum diuerſitatem partium iurisprudentiae theoreticae (§. 1.) in certas claſſes redigi poſſunt. Indeque ſunt vel *ſecularia*, vel *eccleſiaſtica*, et priora vel *allodialia*, vel *feudalia*.

TIT. I.
DE NEGOTIIS SECVLARIBVS ALLODIALIBVS.

§. 843.

Negotia iuridica non litigioſa ſpecialia, quae ſunt ſecularia allodialia, ſunt quidem varia, ſi ea negotia quae generalia ſunt applicantur ad negotia quae circa iura et obligationes, de quibus in iurisprudentia theoretica ſeculari allodiali actum, verſantur, qualia negotia ſunt e. g. renunciatio per quam quis praeciſe iuri haere-

haereditario renunciat, ſpecificatio talium rerum quae alteri locantur, teſtimonii dictio praeciſe quoad hunc vel illum ſtatum etc. Aſt, cum ratione negotiorum huius generis omnia per ſe pateant, haec theoria ad reliqua negotia reſtringenda, quorum praecipua ſunt, ſi per vltimam voluntatem ſucceſſio determinatur, aut pacta ineuntur.

§. 844.

Si per vltimam voluntatem ſucceſſio determinanda, hoc duplici modo fieri poteſt, vel per verba ore prolata, vel per ſcripturam (§. 824.). *In priori caſu teſtes adhiberi neceſſe eſt, licet ſecundum ius naturae nec qualitas, nec numerus eorum definiri poſſit* (§. 822.). *In poſteriori caſu vero ſufficit teſtatorem per ſubſcriptionem declarare ſcripturam vltimam ſuam voluntatem continere, licet nulli teſtes ſint adhibiti.* Quod in priori caſu teſtes adeſſe neceſſe ſit, inde patet, quoniam de nuncupata vltima voluntate non niſi per teſtes conſtare poteſt, quod in poſteriori caſu ſecus, in quo per ſubſcriptionem ſolam de veritate conſtat.

§. 845.

Si negotium expediendum eſt pactum duorum vel plurium, ſufficit paciſcentes vel ipſos, vel per mandatarios conſentire in eandem vel easdem promiſſiones, ſiue per verba ore prolata, ſiue ſcriptura interueniente declaratio fiat. Nec teſtes itaque, nec alias perſonas acceſſorias adeſſe abſolute requiritur, ſi negotium

expediendum eſt pactum, et ſcriptura ſemper non niſi probationis cauſa accedit. Ex pacti natura enim conſtat, adeſſe pactum, ſi adeſt conſenſus duorum vel plurium in eandem vel easdem promiſſiones (§. 268. *Intr.*).

§. 846.

Si paciſcentes pacti tenorem probationis cauſa redigunt in ſcripturam, in tali ſcriptura id de quo paciſcentes inter ſe conuenerunt diſtincte exprimendum, et accedere debet ſubſcriptio, ſi eſt pactum vnilaterale, eius vel plurium qui promittunt, ſi vero bilaterale eſt, omnium paciſcentium ſubſcriptionem accedere neceſſe eſt. Sigilli autem appoſitionem, aut perſonarum acceſſoriarum ſubſcriptionem accedere neceſſe non eſt. Per §. 826.

TIT. II.
DE NEGOTIIS SECVLARIBVS FEVDALIBVS.

§. 847.

Ad huius generis negotia pertinent potiſſimum *inueſtitura feudalis*, *negotium quo pactum feudale ineunt futurus dominus et vaſallus*, *conceſſio exſpectatiuae feudalis*; vt et *vltimae voluntates* ſucceſſionem feudalem determinantes, et *pacta non feudalia*, feudum tamen concernentia.

§. 848.

Quod itaque attinet vltimas voluntates ſucceſſionem feudalem determinantes et pacta non feu-

feudalia feudum tamen concernentia, veluti locatio conductio, emtio venditio feudi, *in expeditione borum negotiorum obſeruanda quae* §. 844. 845. *dicta ſunt, niſi quod accedere debeat, ſi haec negotia non ſubſiſtunt ſine conſenſu aliorum, veluti domini feudi, ſucceſſorum feudalium vi inueſtiturae primi acquirentis, horum conſenſus.* Haec circumſtantia enim, vltimam voluntatem ſeu pactum feudum concernere, non niſi dictam differentiam operari poteſt.

§. 849.

Quoad negotium feudale, quod eſt pacti feudalis expeditio, dicta §. 845. 846. *ſimpliciter locum habent.* Hoc pactum enim ideo, quoniam feudale eſt, ratione expeditionis ſingularia quaedam admittere ex eius natura demonſtrari nequit.

§. 850.

Si negotium expediendum eſt inueſtitura feudalis et quidem conſtitutiua, ſufficit dominum declarare quod velit dominium vtile in vaſallum tranferre, eumque promittere fidelitatem feudalem: ſi vero inueſtitura repetita eſt, dominum inueſtiendum pro vaſallo agnoſcere, vaſallumque dominum pro domino. Per ea quae de inueſtitura dicta ſunt §. 622. 623.

§. 851.

Conceſſio exſpectatiuae feudalis, ſiue fiat per promiſſionem mortis cauſa, ſiue per promiſſionem inter viuos, tam nuncupatiue, quam interueniente ſcriptura

per

per quam dominus declarat quod velit concedere dominium vtile ſi rediit, fieri poteſt. Et ipſa ſcriptura eum in finem concipienda non niſi a domino ſubſcribenda, praetereaque diſtincte determinare debet tam caſum reditus, quam ipſum feudum exſpectatiuario concedendum, ſi eius dominium vtile redierit. Per exſpectatiuae feudalis definitionem et ea quae de ſcriptis in genere §. 826. dicta ſunt.

TIT. III.

DE NEGOTIIS ECCLESIASTICIS.

§. 852.

Quum modus quo Deus colendus in conuentibus religioſis eccleſiae, vt et ſingulorum actuum religioſorum liturgia, praxeos iuridicae obiectum non ſint (§. 816.), hic omnia redeunt ad *conuentus non religioſos*, ſpeciatim concilia et ſynodos, et *negotiorum in conſtitutione officialium eccleſiae obuenientium* expeditionem.

§. 853.

Quae de conuentibus ſocietatum ratione modi hoc negotium expediendi §. 833. *dicta ſunt, valent ſimpliciter de conuentibus eccleſiae.* Sunt enim conuentuum ſocietatis ſpecies, nec probari poteſt quoad hanc ſpeciem ſingularia quaedam locum habere.

§. 854.

Negotia circa conſtitutionem officialium obuenientia ſunt varii generis, veluti *nominatio*, *voca-*

vocatio etc. §. 810. Quae vero in horum negotiorum expeditione ſecundum ius naturae obſeruanda, ex eorum natura et indole *l. c.* diſtincte explicata ſine vlla difficultate deduci poſſunt.

(II)
IVRISPRVDENTIA PRACTICA LITIGIOSA.

§. 855.

Iurisprudentia practica litigioſa quae excipit non litigioſam (§. 817), pro obiecto habet negotia iuridica litigioſa ſupra (§. 817.) definita.

§. 856.

Negotia iuridica litigioſa in ſtatu naturali, ob hominum in eo viuentium libertatem (§. 188. *Introd.*), vel ita finiuntur, vt is qui affirmat ſe ius habere ad praeſtationem quandam, quum alter hoc neget, ſeu, quod idem eſt, qui aliquid praetendit ab altero, per vim ei illatam efficiat expletionem obligationis coacte fieri, vel ita vt lis componatur, quod fit, ſi litigantes per tractatus conueniunt inter ſe quo modo lis tollenda. Si prius, per *belligerationem*, ſi poſterius, per *amicabilem compoſitionem*, lis finitur. Hinc de belligeratione et amicabili compoſitione hic agendum.

SECTIO

Sectio I.

DE BELLIGERATIONE.

§. 857.

Belligeratio eſt actus quo per bellum (§. 196. *Introd.*) cogimus alterum ad obligationis expletionem. Vbi omnia redeunt ad 1) *perſonas belligerantes*; 2) *ſingulos actus in belligeratione obuenientes* et 3) *ipſum belligerationis actum.*

TIT. I.

DE PERSONIS BELLIGERANTIBVS.

§. 858.

Perſonae belligerantes dicuntur quae in belligeratione certant inter ſe per vim, ſuntque vel *perſonae principales* ſeu *partes belligerantes*, vel *minus principales.* Partes belligerantes ſunt *bellum inferens* et *per bellum cogendus* (§ 497. *Intr.*). Belligerantes minus principales ſunt, qui vires ſuas coniungunt cum vno alteroue partium belligerantium ad debellandum alterum.

§. 859.

Perſonae belligerantes principales ſeu partes belligerantes ſunt vel duae, vel plures perſonae. In poſteriori caſu, vel ideo plures belligerantes adſunt quoniam eadem belli cauſa pluribus communis eſt, tumque plures a qualibet parte dicuntur *belli conſortes*, ſiue ſint bellum inferentis conſortes, ſiue per bellum cogendi

gendi conſortes, vel ideo quoniam belli exitus plurium quam duorum intereſſe concernit, tumque aut hi plures ſimul belligerare incipiunt, aut demum, poſtquam duo bello iam implicití, alii propter ſuum intereſſe ſe immiſcent, qui tum dicuntur *interuenientes.*

§. 860.

Reſpectu belligerantium reliqui homines, qui perſonae belligerantes non ſunt, dicuntur *bello medii*, *vt* itaque *bello medii ſint, qui neutri partium belligerantium adſiſtunt ad debellandum alteram partem.* Ipſa illa conditio hominis, quod ſit bello medius, vero dicitur *neutralitas.*

§. 861.

Neutralitas adeſt, licet non ſit declarata, ſed ſufficit ad neutralitatem quod cum neutro partium belligerantium vires noſtras coniungamus ad opprimendum alterum partium belligerantium. Vi definitionis neutralitatis (§. *praec.*).

TIT. II.

DE SINGVLIS ACTIBVS IN BELLIGERATIONE OBVENIENTIBVS.

§. 862.

Ad actus in belligeratione obuenientes pertinent I) *belli indictio*, quae eſt actus quo is, qui poſtulat ab altero contradicente vt ei aliquid praeſtet, declarat, quod per bellum ius ſuum perſequi velit, eſtque vel *pura*, vel *conditionata*,

pro-

prout vel nulla conditione adiecta, vel ſub conditione, ſi ſponte non praeſtat, quod praeſtari poſtulat bellum indicens, fit.

§. 863.

Conditionata belli indictio efficere poteſt ſponte praeſtare alterum quod eum praeſtare poſtulamus. Inde enim metus oriri poteſt, ad hunc effectum producendum aptus.

§. 864.

Quoties belligeratio fit eo fine vt nos defendamus contra aggreſſorem, vel vt alter puniatur, belli indictio non habet locum. Tum enim ceſſat eius finis, qui, quis ſit, ex §. *praec.* per ſe patet.

§. 865.

Actus in belligeratione obuenientes ſunt II) *hoſtilitates ipſae*, quae ſunt ipſa mala, quae belligerantium vnus infert alteri.

§. 866.

Quoties hoſtilitas talis, quae eſt medium obtinendi finem quem belligerans per bellum obtinere vult, toties eſt licita, quoties non, eſt illicita. Ius ad finem enim dat ius ad media.

§. 867.

Licet variae hoſtilitatum ſpecies a ſe inuicem diuerſae in belligeratione hominum extra rempublicam viuentium, praeſertim perſonarum moralium, veluti diuerſarum domuum, concipi poſſint, immo et hi armis et militibus adhi-

adhibitis belligerare poſſint, operae pretium tamen non eſt, ſingulas hoſtilitatum ſpecies hic recenſeri earumque moralitatem definiri.

§. 868.

Ad actus in belligeratione obuenientes referri poteſt III) *deditio*, quae eſt omiſſio reſiſtentiae hactenus a cogendo per bellum factae, fitque vel *expreſſe*, vel *tacite*, veluti per derelictionem obiecti litis.

§. 869.

Huc IV) pertinet *victoria*, quae eſt virium ſuperioritas per hoſtilitates obtenta. Vnde per ſe fluit, *victoriam non dare nouum ius, ſed tantum efficere victorem, fractis hoſtis viribus, nunc conſequi quod debet ei victus.*

TIT. III.

DE IPSA BELLIGERATIONE.

§. 870.

Ipſa belligeratio differt pro ea diuerſitate eius, quae oritur ex belli, pro remedio ſumti (§. 196. *Intr.*), diuerſitate. Eſt enim, vt hinc inde dicta hic in ſummam contraham, bellum vel *defenſiuum*, vel *offenſiuum*, prout bellum inferens belligerando vel defenſionem (§. 182. *Intr.*) exercet, vel non. Bellum offenſiuum vero vel eſt bellum *punitiuum*, vel *vindicatiuum*, prout belligerando vel ius puniendi (§. *cit.*) exercetur, vel non. Vindicatiuum bellum porro vel *reale*, idque vel *poſſeſſorium*, vel *petitorium*, vel *perſonale eſt.*

§. 871.

Bellum defenſiuum toties locum habet, quoties adſunt ea quae ſecundum §. 531. *Intr. ad defenſionis iuſtitiam in ſtatu naturali requiruntur, nec poteſt bellum ab vna parte belligerantium defenſiuum, ab altera offenſiuum eſſe, ſed potius omnia eo redeunt, quo fine is qui primus hoſtilitates exercet hoc faciat, indeque de-*

finiendum an bellum ſit offenſiuum, an vero defenſiuum. Ipſe belligerationis actus in bello defenſiuo vero, ab ipſo hoſtilitatum exercitio, omiſſa belli declaratione (§. 864), *initium ſumit, et hae hoſtilitates tamdiu continuandae ſunt, donec per bellum cogendus in eum ſtatum redactus, vt laeſionem nunc intentatam in actum deducere nequeat, et quoad futurum ſufficiens adeſt ſecuritas.* Per ea quae de defenſionis violentae natura dicta ſunt §. 529. *ſeqq. Intr.* et belli defenſiui definitionem (§. 870.).

§. 872.

Bellum offenſiuum punitiuum toties locum habet, quoties adſunt ea quae iuxta §. 540. *Intr. adeſſe debent, vt ius puniendi locum habere poſſit, et belligeratio, ſi bellum eſt huius generis, itidem absque praeuia belli indictione* (§. 864.) *ab hoſtilitatibus ipſis initium ſumit, quae tamdiu continuandae, donec tot mala paſſus eſt per bellum cogendus, quot ad laeſionem futuram auertendum pro caſuum diuerſitate ſufficiunt.* Vi theoriae de iure puniendi §. 537. *ſeqq. Intr.*

§. 873.

Supereſt belligeratio quae fit ſi bellum pro remedio ſumtum eſt tale offenſiuum bellum quod dicitur vindicatiuum (§. 870.). Vbi quidem nil intereſt ſiue ius quod per bellum perſequimur ſit reale, ſiue perſonale, aſt multum intereſt an ſit certum, vel incertum, vt et, an ſit perfectum, vel imperfectum.

§. 874.

Quoties ius noſtrum certum et perfectum eſt, toties, ſi obligationis reſpondentis expletio ſponte non fit, in ſtatu naturali alter per bellum vindicatiuum ad expletionem obligationis cogi poteſt, ſicque tum vi belli vindicatiui belligerare licet. Si vero non niſi ius imperfectum adeſt, bellum vindicatiuum non habet

bet locum, ſicque nec tum belligeratio licita eſt. Aſt, ſi ius eſt tale quod, ſi certum eſſet, perfectum foret, dubium vero adhuc eſt, belli remedium, ſicque belligeratio vi belli vindicatiui locum habet, ſi alter media quae dubiorum diſcuſſioni inſeruiunt adhibere detrectat. Quoad primum et ſecundum vid. §. 494. *Intr.* Tertium vero inde patet, quoniam ius ſuum nemini auferendum, et, licet ius per hypotheſin dubium ſit, adeſſe tamen poſſit ius, hincque laedat nos, qui non promptus eſt ad adhibenda media diſcuſſioni dubiorum inſeruientia.

§. 875.

Quum itaque duplex poſſibilis ſit caſus belligerationis in bello vindicatiuo 1) *ſi ius eſt perfectum et certum*; 2) *ſi ius, licet perfectum ſit, ſi adeſſet, dubium tamen adhuc eſt*, de vtraque hac belligeratione hic agendum.

§. 876.

Si per bellum offenſiuum vindicatiuum ius certum perſequimur, ipſas hoſtilitates praecedere debet belli indictio conditionata, niſi praepotentia alterius ſit tanta, vt bello praeuiſo ab eo ius noſtrum vi obtineri impoſſibile ſit. Quodſi itaque per bellum cogendus, facta licet belli indictione, non praeſtare vult quod praeſtandum, ad ipſas hoſtilitates progrediendum. Quo facto, aut reſiſtit per bellum cogendus bellum inferenti, aut non. Si non reſiſtit, bellum inferens, quando obligatio in dando conſiſtit, rem debitam eripit per bellum cogendo, tumque belligeratio finita: quando vero in faciendo conſiſtit bellum inferens hoſtilitates tamdiu continuat, donec per bellum cogendus facit ad quod faciendum obligatus eſt. Si vero per bellum cogendus reſiſtit, aut per hoſtilitatum exercitium res eo redit, vt deditio ex parte eius qui per bellum co-

gendus ſequatur, ſiue ideo quoniam bellum inferens talem obtinuit victoriam, vt per bellum cogendus amplius reſiſtere nequeat, ſiue ideo, quoniam non amplius vult reſiſtere, licet non deſint vires: aut bellum inferens eo perducere nequit per bellum cogendum vt deditio ex parte eius ſequatur. In priori caſu idem iuſtum eſt poſt ſequutam deditionem per bellum cogendi, quod iuſtum eſſe diximus in caſu quo is ab initio non reſiſtit. In poſteriori caſu. aut vincit per bellum cogendus bellum inferentem, aut non. Si prius, nec ius ſuum quod per bellum perſequi voluit bellum inferens amittit ideo quod victus ſit, nec victori licet victum cogere ad praeſtationem quandam, ſed potius tum, et ſi poſterius obtinet, manent omnia in ſtatu quo, donec pax ſequatur. Quae de belli indictione dicta ſunt patent quoad regulam per §. 863. et principium vi cuius remedia leniora durioribus praeferenda; quod exceptionem per §. 170. *Intr.* Ratione caſus ſequutae deditionis dicta inde fluunt, quod bellum vindicatiuum geratur ideo, vt bellum inferens obtineat quod ſuum eſt, vel ſibi debetur. Quoad victoriam vid. §. 869.

§. 877.

Si per bellum offenſiuum vindicatiuum ius perſequimur quod dubium eſt, non ad obtinendum ius quod dubium eſt hoſtilitates tendere debent ſed potius eo, vt alter cogatur ad conferendum quod conferre poteſt ad dubiorum diſcuſſionem e. g. ad documentorum editionem. Quodſi itaque eo per hoſtilitates perductus, aut patet a cuius parte ſtet veritas, aut non. Si prius, omnia ea locum habent quae de belligeratione in caſu §. praec. dicta ſunt. Si poſterius, hoſtilitates tamdiu continuandae donec per bellum cogendus modum quendam litem amicabiliter componendi eligat.

eligat. Quamdiu enim ius dubium eſt nobis nihil debetur, et ſi conſtat a cuius parte ſtet veritas, idem eſt acſi ab initio certum fuiſſet ius. Si vero certum fieri nequit ius, nullum aliud ſupereſt medium emergendi quam amicabilis compoſitio, indeque ius ad hoc medium adeſt à parte bellum inferentis (§. 117. *Introd.*).

SECTIO II.

DE AMICABILI COMPOSITIONE.

§. 878.

Doctrina de belligeratione abſoluta, ſequuntur ea quae de amicabili compoſitione, tanquam altero modo finiendi lites in ſtatu naturali (§. 856.), monenda ſuperſunt.

§. 879.

Amicabilis compoſitionis duo concipi caſus, quorum alter is eſt quo belligerantes, qui hactenus bello impliciti fuerunt, litem amicabiliter componunt, quo caſu amicabilis compoſitio *pax* ſeu *pactio pacis* dicitur: alter vero is, quo nulla praeuia belligeratione lis componitur, in quo *amicabilis compoſitio in ſpecie ſic dicta* appellatur. De vtraque ſpecie amicabilis compoſitionis itaque quaedam addenda ſunt, praemiſſis iis quae de amicabili compoſitione in genere valent.

§. 880.

Mediator dicitur, qui bona ſua officia interponit, vt per amicabilem compoſitionem lis componatur. *Arbiter* vero dicitur, qui ab iis inter quos eſt lis electus eſt, vt litem decidat. *Litem* vero *decidere* dicitur, qui determinat cui competat ius quod hactenus controuerſum fuit. Vnde *differunt inter ſe litem componi* (§. 856.) *et eam decidi. Prius tentatur a mediatore, poſterius fit ab arbitro.*

§. 881.

Mediator vel ab iis inter quos lis eſt eligitur, vel ſponte mediationem ſuſcipit, in vtroque caſu tamen ab arbitrio eorum, inter quos lis eſt, dependet, an velint in eo quod ei videtur acquieſcere, vel non. Vi def. mediatoris (§. 880.).

§. 882.

Si arbiter electus arbitrium ſuſcipit et pronunciat quid iuſtum ſit, litigantes in ſententia arbitri acquieſcere tenentur, niſi manifeſtum ſit arbitrum partialem eſſe. Vi pacti inter litigantes initi. Limitatio vero fluit ex §. 337. *Intr.*

§. 883.

Si ii inter quos eſt controuerſia ſibi inuicem promittunt quod litis deciſionem arbitro committere velint, hoc pactum dicitur *compromiſſum.* Si vero arbitro non electo ipſi per conuentionem definiunt, quo iure impoſterum vti velint, hoc pactum dicitur *transactio in genere*, quae tum in magis preſſo ſignificatu transactio appellatur, ſi transigentes non gratis a lite diſcedunt, indeque *compromiſſum et transactio ſtricte ſic dicta ſunt pacta ex obligatoriis et liberatoriis mixta* (§. 311.).

§. 884.

Amicabilis compoſitio nonſolum in eo differt quod vel pactio pacis ſit, vel amicabilis compoſitio in ſpecie ſic dicta (§. 879.): ſed et in eo, quod vel per *compromiſſum, ſubſequuta arbitri deciſione litis, fiat*, vel per *transactionem lis componatur*, *qui diuerſi modi amicabiliter componendi litem* itaque *in eo effectu quidem conueniunt, quod lis tollatur, aſt in aliis differunt, praeſertim in eo, quod, ſi lis tollitur praeuio compromiſſo per arbitrum, ex iuris principiis ad factum applicatis definiatur quid iuſtum ſit, ſi vero*

per tranſactionem tollitur, non ex iuris principiis, ſed ſimpliciter ſecundum tranſigentium arbitrium, definiatur, quo iure impoſterum vti velint, indeque ibi decidatur, hic componatur lis §. 880.

TIT. I.

DE PACTIONE PACIS.

§. 885.

Differunt inter ſe pax et pactio pacis, ita vt *pax* ſit ipſe ſtatus in quo nobis cum nemine bellum eſt: *pactio pacis* vero amicabilis compoſitio litis belligerantium; licet pax etiam pro ipſa pacis pactione ſumi ſoleat.

§. 886.

Pax pro ſtatu ſumta vel adeſt absque praeuia pactione pacis, vel ex praeuia pacis pactione oritur. Nobis enim cum memine bellum eſt, tam in eo caſu quo nunquam cum alio belligerauimus, aut bellum absque praeuia pactione pacis finitum, quam in eo caſu quo bellum per pacem finitum.

§. 887.

A pactione pacis differunt induciae, quae ſunt pactum belligerantium inter ſe, quo hoſtilitatum omisſio ad certum tempus promittitur. Induciis enim non ineſt amicabilis compoſitio litis ipſius. Ergo §. 885.

§. 888.

Pacem pangi duplici modo fieri poteſt, vel ita vt belligerantes arbitrum eligant cui litis deciſionem committunt, vel ita vt ipſi per conuentionem definiant quo iure impoſterum inter ſe vti velint. In priori caſu pactio pacis fit interueniente compromiſſo, in poſteriori caſu vero per tranſactionem. Vtrumque vel interueniente mediatione fieri poteſt, vel ea non interueniente. Per §. 884.

§. 889.

§. 889.

Si pactionis pacis cauſa congregatio ſit, ea obtinent quae de congregatione negotii non litigioſi expediendi cauſa, quae non eſt conuentus ſocietatis (§. 834.) dicta ſunt. Sique pactio pacis in ſcripturam redigenda, valent quae de ſcriptis in expeditione negotiorum litigioſorum obuenientibus ſupra §. 826. monuimus. Inde enim quod negotium ſit pactio pacis, quoad congregationem, quae in hoc caſu ſemper eſt congregatio quae non eſt conuentus ſocietatis, et ſcripturam in quam redigenda, ſingularia hic obſeruanda non fluunt.

TIT. II.

DE AMICABILI COMPOSITIONE IN SPECIE SIC DICTA.

§. 890.

Amicabilis compoſitio in ſpecie ſic dicta, quae pacis pactioni contradiſtinguitur (§ 879.), *non niſi in eo differt a pactione pacis, quod per pacis pactionem lis finiatur propter quam litigantes hactenus bellum geſſerunt, per hanc amicabilem compoſitionem vero lis finiatur nulla praeuia belligeratione.* Vi definitionum pactionis pacis et amicabilis compoſitionis in ſpecie ſic dictae §. 879. obuiarum.

§. 891.

Quum itaque haec differentia in ea, quae §. 888. *et* 889. de pactione pacis dicta ſunt, non influat, *quae ibi de pactione pacis dicta ſunt, valent etiam de amicabili compoſitione in ſpecie ſic dicta.*